1845

DE XANTHO ET HERODOTO
RERUM LYDIARUM SCRIPTORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITENBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS POMTOW,

BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXVI.

Herodotum in historiis conscribendis logographorum libris esse usum veterum omnes, qui rem attigerunt, professi sunt [1]) neque defuere nostris etiam temporibus qui in ea sententia manserunt investigatores scriptorum veterum diligentissimi. Sed cum fragmenta historicorum Graecorum antiquissimorum collecta paterent in promptuque essent omnibus [2]), cum ars critica veterum auctorum testimoniis adhibita haud levem in iis neglegentiam et inconstantiam aperuisset, re denuo quaesita et multum disputata increbuit opinio nisi Hecataei nullius logographi libros inspexisse Herodotum [3]). Atque hic nobis, quaerentibus qua necessitudine coniuncta fuerint eius et Xanthi Lydii opera, cum rem difficilem a tot viris doctissimis susceptam retractare propositum sit, id primum investigandum videtur, — unde omnis argumentatio pendet — utrum liber qui Xanthi nomine inscriptus in veterum manibus versabatur recte pro insi-

---

1) Ephorus apud Athenaeum XII c. 11 p. 515 D, Porphyrius apud Eusebium Praepar. evangel. X p. 166 B, Hermogenes de genere dic. II, 12, cf.: Tertullian: de anim. cp. 46, Dionys. Halicarn: de Thucyd. hist. p. 769.

2) Creuzer: Fragm. histor. Graec. antiquiss. Heidelberg 1806, Clausen: Hecataei fragm. cum Scylac. peripl. Berol. 1831. C. et Th. Müller: Fragm. hist. Graec. Parisiis 1874, cum addendis et corrigendis in tom. I et II, tom. IV p. 623 sqq. — R. Stiehle: zu den Fragmenten d. griech. Historiker. Philologus VIII p. 590—651. —

3) cf. K. W. Nitzsch: Herodots Quellen der Perserkriege. Rhein. Museum XXVII p. 233.

tivo habitus sit necne. Deinde veterum et recentiorum de Xanthi Lydiacis sententiis prolatis reliquiisque eorum examinatis quid de eius libri argumento et indole statuendum sit, cognoscere conabimur. Postremo quae de rebus a Lydis gestis ab utroque auctore nostro tradita exstant comparemus oportet, ut intellegatur in quibus Herodotus ad Xanthum respexisse, in quibus eum neglexisse sit putandus.

I.

Nituntur quibus reliquiae e Xanthi Lydiacis apud veteres scriptores servatae in dubium venerunt [1]) maxime Athenaei loco notissimo [2]): „Lydi eo mollitiei progressi sunt ut etiam feminas castrarent; quod tradit Xanthus Lydius, sive qui historias conscripsit, quae illi tribuuntur, Dionysius Scytobrachion, ut ait Artemon Cassandrensis in commentario de librorum collectione; nescius scilicet Ephorum historiarum scriptorem illius tamquam vetustioris meminisse, qui etiam Herodoto materiem scribendi suppeditasset" [2]). Quibus Athenaei verbis probari quidem Xanthum Lydium logographum fuisse Welckerus concessit, negavit vero Artemonis imminui fidem. Nam cum circa annum centesimum qua-

1) Welcker: kleine Schriften. Bonn 1844 p. 431—451, Müllerus: Fragmenta etc. I p. XX sqq.; quem in hac re tractanda omittamus licet, quia Welckeri dissertationem exscripsit et ne unum quidem argumentum addidit.

2) Sic latine reddidit Müllerus verba Athenaei XII c. 11 p. 515 D: *Λυδοὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς ὡς καὶ πρῶτον γυναῖκας εὐνουχίσαι, ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶ ὁ Κασσανδρεὺς, ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων· ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος.*

dragesimum ante Chr. — tot annis post Ephorum — Dionysius Scytobrachion Alexandriae vixisse videretur, facile fieri potuisse ut a falsario illo sive pro vetere opere amisso novus codex narratiunculis fabulisque cum fictis tum undique corrasis fabricaretur, cui Xanthi inscriberetur nomen, sive reliquiis prioris libri cum aliis historiis callide mixtis ornando demendo mutando interpolando opus illud in novam formam redigeretur. Quamquam fatendum est persaepe accidisse temporibus regum Ptolemaeorum, qui antiquorum voluminum cupidissimi erant, ut codices depravati et falsi nomine cuiuslibet scriptoris vetustissimi imposito pro genuinis exemplis ederentur, quales multos in bibliotheca Alexandrina fuisse constat[1]), verendum tamen est ne nimium indulgeamus coniecturae. Obstat enim quominus Xanthi Lydiacorum exempla, quae post illa tempora circumferebantur, supposita putemus Dionysii Halicarnassensis iudicium: *Ξάνθος εἰ καί τις ἄλλος ἱστορίας παλαιᾶς ἔμπειρος ὤν, τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος;*[2]) ex quo effici ut Dionysius aut genuino Lydiacorum exemplo uti consuevisse aut in subdito exemplo perlegendo incredibili fuisse neglegentia credatur, quis est quin videat? Iam vero cum Dionysium falsarii opere deceptum tam vehementer errasse conicere nequeamus, tenendum videtur ei vera et antiqua Xanthi Lydiaca fuisse nota. An quae Artemonem moverent ut Dionysio Scytobrachioni opus tribueret fraudis vestigia, ea Dionysium Halicarnassensem effugisse putes, accuratissimum historiarum et operum logographorum perscrutatorem? Atqui eum tanta interdum fuisse neglegentia

---

1) Cuius rei documenta congesta reperies a C. G. Cobetio in dissertatione de „Hecataei Milesii scriptis ψευδεπιγράφοις“ Mnemosyne XI p. 1 sqq.

2) Antiqq. Rom. I, 28.

probare studuit Welckerus et ob eam rem denuo evocavit Athenaeum testantem (IX p. 393 D) Cephalionis Gergithii Troica ab Hegesianacte quodam, Alexandria Troade nato, conscripta esse. Etenim cum Cephalon a Dionysio ἀρχαῖος καὶ λόγου ἄξιος συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ nominatus [1]) et a Strabone laudatus sit, apparere iam, censuit vir doctus, saepius cum alios tum Dionysium Halicarnassensem spurios libros pro genuinis habuisse. Quibus vir, admirabilis sane in aliis, se ipsum iam redarguisse videtur Straboni et Dionysio, ad Cephalonem respicientibus, ex adverso ponens Athenaeum, quem tam neglegenter Hegesianactis librum inspexisse ipse concessit ut ne nomen quidem auctoris incorrupte redderet et pro Cephalon legeret Cephalion [2]). Qua ex nominum diversitate facile colligitur uni Athenaeo spurium Hegesianactis opus, quod Cephalionis nomine notatum erat, occurrisse; nemo vero, mea quidem sententia, tali argumento Dionysii Halicarnassensis fidem fractam esse contendet.

Nec autem omnia, quae apud veteres scriptores passim inveniuntur, Lydiacorum fragmenta e Scytobrachionis opere fluxisse Welckero placuit; quatuor a Strabone servata, in quibus incorruptae vetustatis colorem adeo servatum esse censuit ut redolere tamquam antiquitatem viderentur et a Scytobrachione fabricata esse non possent, excepit [3]). Excipienda sane erant viro doctissimo nisi forte contendere voluit Eratosthenem, cuius e libris Strabonem hausisse ipse cognovit, Scytobrachionis Lydiacis esse usum, quod vere factum esse propter temporum rationem cogitari nequit. Iam igitur non solum Ephori, sed etiam Eratosthenis aetate vetera Xanthi

---

1) Antiqq. Rom. I, 49, 72.
2) l. l. p. 434.
3) Apud Müllerum Xanthi fragm. 3, 4, 5, 8.

Lydiaca lectitata esse ab ipso Welckero concessum est, qui tamen Mnaseae, Eratosthenis discipuli, temporibus incorrupta exstitisse illius libri exempla negabat, innisus loco Athenaei [1]) ubi Mnaseas: ἡ δὲ Ἀτεργάτις ὥσπερ Ξάνθος λέγει ὁ Λυδὸς ὑπὸ Μόψου τοῦ Λυδοῦ ἁλοῦσα κατεποντίσθη μετὰ Ἰχθύος τοῦ υἱοῦ ἐν τῇ περὶ Ἀσκάλωνα λίμνῃ διὰ τὴν ὕβριν καὶ ὑπὸ τῶν ἰχθύων κατεβρώθη. Quibus in verbis nescio quid tantae offensioni fuerit viro doctissimo ut, quantum haec narratio a vero Lydiacorum colore distet clamans, hoc uno loco, qui tam aperta indicia fraudis, ab Alexandrino falsario commissae, prae se ferret satis demonstrari opinaretur Mnaseae temporibus Xanthi Lydiaca ab interpolatore fuisse perdita. Cuius de fabulae stilo et colore alii certent, statui enim quidquam certi posse in eiusmodi generis controversiis equidem nego, verum tenendum est in re vehementer errasse Welckerum, cum Dionysium Scytobrachionem circa Olymp. 160 i. e. circa annum 140 a. Chr. Alexandriae vixisse probare vellet, unde tota eius pendet coniectura. Nuper enim cum C. Hachtmannus [2]) floruisse eum ibidem intra annos 110 et 100 a. Chr. fidem fecerit, quis est quin videat aut Artemonis iudicium pro falso esse habendum statuendumque iam ante hunc fuisse, qui Xanthi libros perderent interpolatores, aut concedendum Mnaseam incorruptis Xanthi libris esse usum? Etenim cum constet inter doctos Mnaseam Eratosthenis discipulum Ptolemaeo VI Philometore, 181—146 a. Chr. regnante, scripsisse, qui fieri potuit, quaeso, ut quod triginta annis post a Scytobrachione fabricaretur Xanthi exemplum, materiem ei praeberet huiusce

---

1) Mnaseas apud Athenaeum VIII, 37 p. 346 D.

2) C. Hachtmann: de Dionys. Scytobr. Diss. inaug. Bonn 1865; cf. E. Schwartz: „de Dionysio Scytobrachione", diss. Bonnae 1880 p. 5. not. 1.

fragmenti? Etiamsi largimur Welckero, quod haud bene cum veritate convenit, degisse illum Scytobrachionem vitam circa annum 140 a. Chr. Alexandriae, nihilo minus parum verisimile videtur in eius opus incidisse Mnaseam, illo aliquot annis maiorem. Quin immo Mnaseas cum totius vitae spatium in litterarum studiis Alexandriae consumeret eodem Lydiacorum exemplo, quod ab Eratosthene magistro lectitatum erat, usus esse putandus est, neque dubitari debet quin, si forte ei spurium nobilissimi huius libri occurrisset exemplum, moniturus fuerit homines doctos ut caverent, cuius rei memoria opprimi nullo modo potuit.

His igitur probatum esse puto ipsius Scytobrachionis aetate usitata fuisse Alexandriae vera, vetera, incorrupta Xanthi Lydiaca, quae ab Eratosthene saepius laudata [1]) et exscripta Mnaseae etiam in usu fuisse videntur. Quantum vero id ipsum conferat ad Artemonis iudicium refellendum, quis non intellegit? Nam si genuina in bibliotheca Alexandrina reposita et recondita erant Lydiacorum exempla, fieri omnino non potuit ut Scytobrachion ex frustulis undique corrasis novum commisceret opus, cui notissimum veteris logographi imponeretur nomen. Aut si fieri potuit, quae tandem causa excogitari potest fraudis tam inutilis, tam apertae?

Quae cum ita sint, cui veterum auctorum, Dionysio an Artemoni, maior fides habenda sit, iam nequit dubitari. Qui enim cum adeo inter se pugnent ut res sanari nullo modo possit, — nisi forte quis eodem tempore et genuina et spuria Lydiacorum exempla divolgata fuisse, ut contendat animum inducere vult — quid reliquum est quam ut statuamus Artemonem errasse — cum libro

1) Strabo I p. 49: *Ταῦτα δὲ εἰπὼν (ὁ Ἐρατοσθένης) τὴν Στράτωνος ἐπαινεῖ δόξαν τοῦ φυσικοῦ καὶ ἔτι Ξάνθου τοῦ Λυδοῦ κ. τ. λ.*

a Dionysio Scytobrachione confecto Xanthi nomen inscriptum esse traderet — et Xanthi nomen pro alius cuiuslibet logographi nomine vocasse? — Cum igitur ab hac parte satis iam Dionysium defendisse videamur, progrediamur ad singula quae Xanthi in reliquiis inveniuntur fraudis vestigia examinanda.

Primum et princeps testimonium unde Xanthi Lydiaca ab interpolatore perdita esse manifestum sit, in fragmento 27. inesse docuit Welckerus, ubi Clemens Alexandrinus [1]) narrat traditum esse a Xantho, Terpandrum vixisse circa Olympiadem decimam octavam. Unde — nam Olympiadum rationem Polybio (XII, 12) auctore a Timaeo primo temporum descriptioni esse adhibitam — unde luce clarius apparere censuit vir summus [2]) subdititium fuisse Lydiacorum exemplum, quod Clementis in manibus versaretur; neque enim verendum esse ne ipse Clemens, postquam hanc Olympiadem ex alia quacunque re, cuius in mentionem Xanthus forte incidisset, computaverit, eius numerum hoc loco inseruerit. Equidem nescio quid sit cur cogitari nequeat sive ab ipso Clemente sive ab auctore eius id esse factum, praesertim cum unicuique, qui locum illum acrius inspexit, apertum sit Clementem breviter et paucis rem absolvere voluisse. Accedit quod apud Eusebium legimus [3]) Hellanicum et Philochorum rerum Atticarum scriptores prodidisse memoriae ab Ogyge usque ad primam Olympiadem annos colligi viginti supra mille; unde perspicuum est, mea quidem sententia, aut iam ante Timaeum in rebus admodum antiquis a logographis Olympiadum seriei rationem esse habitam aut hoc etiam loco Eusebium Olympiadis mentionem induxisse, quod

1) Str. I p. 398. Potter.
2) l. l. p. 437.
3) Praep. ev. X p. 489; ap. Müllerum fragm. 62.

Welckerus negavit. Cetera quae ab eo afferuntur ad coniecturam suam comprobandam argumenta omnia pertinent ad Nicolai Damasceni narrationes, quas quamvis ne ab uno quidem vetere auctore Xantho tribuantur, tamen quod ingenio falsarii Alexandrini bene respondere viderentur, ex spuriis Lydiacis desumptas esse sibi persuasit. Ea igitur, cum ad hanc litem de integritate Lydiacorum diiudicandam nihil omnino valeant, a nobis infra, si de ratione quae inter Xanthum et Nicolaum intercedat agetur, tractabuntur.

At non neglegendum est aliud testimonium, quod, postquam Welckerus in eam rem inquisivit, a Cobeto editum valde eius argumentationem adiuvare videbatur Schneidewino [1]). Qui enim cum verba redderet, quae a Graeco Euripidis explicatore ad Andr. 10 annotata sunt: *Ξάνθον τὸν τὰ Λυδιακὰ συντάξαντά φασι ὅτι Εὐριπίδῃ σύνηθες προσέχειν περὶ τοῖς Τρωικοῖς*, ea haud parvi momenti esse arbitratus est ad Welckeri causam confirmandam, oblitus saepe a veteribus tragicis ex carminibus antiquis et ex logographorum libris multa in tragoedias esse translata. Quod cum de Sophocle inter omnes constet [2]) et Euripidis consuetudinem fuisse nonnullis demonstrari licet exemplis. Nam quin is pugnam canens a Cadmo contra Martis draconem decertatam Hellanicum secutus sit [3]), nemini dubium erit, qui va-

---

1) Götting. Gel. Anzg. 1847 p. 1544; C. G. Cobet: Scholia in Euripidis tragoedias 1846.

2) cf. adnotationes Steinii ad Herodot. I 35, III 119, IV 96, Cobet: Herodotea, Mnemosyne XI p. 127/28.

3) Euripides Phoeniss. 661 sqq.:

ὃν (τὸν δράκοντα) ἐπὶ χέρνιβας μολὼν Κάδμος ὤλεσε μαρμαρῷ
κρᾶτα φόνιον ὀλεσίθηρος . ὠλένας δικὼν βολαῖς
δίας ἀμάτορος Παλλάδος φραδαῖσι . . .
γαπετεῖς δικὼν ὀδόντας εἰς βαθυσπόρους γύας,

rietates huius fabulae, cuius quot auctores legeris, totiens variatam acceperis memoriam, bene intellexit. Pari modo Hellanicus materiem praebuit iis versibus [1]), quibus Cadmi genus refertur ab Euripide et causa narra-

---

quibus cf. Hellanicum (fr. 8 et 9): *Βουλόμενος (ὁ Κάδμος) δὲ Ἀθηνᾷ τὴν βοῦν καταθῦσαι πέμπει τινὰς τῶν μεθ' ἑαυτοῦ χέρνιβα ἀπὸ τῆς Ἀρητιάδος κρήνης. Ὁ δὲ φρουρῶν τὴν κρήνην δράκων, ὃν Ἄρεως ἔλεγον εἶναι, τοὺς πλειόνας τῶν πεμφθέντων διέφθειρεν. Ἀγανακτήσας δὲ Κάδμος κτείνει τὸν δράκοντα καὶ Ἀθηνᾶς αὐτῷ ὑποθεμένης τοὺς τούτου ὀδόντας σπείρει.* Quod *μαρμαρῷ* interficientem facit Cadmum Euripides, eius rei causam vides in Schol. Eurip. Phoeniss. 666 *ὁ μὲν Ἑλλάνικος λίθῳ φησὶν ἀναιρεθῆναι τὸν δράκοντα, ὁ δὲ Φερεκύδης ξίφει.* —

1) Eurip. fr. 816 (ed. II Nauck) — Phrixus

Σιδώνιον ποτ' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπών,
Ἀγήνορος παῖς ἦλθε Θηβαίαν χθόνα,
Φοίνιξ πεφυκὼς ἐκ δ' ἀμείβεται γένος
Ἑλλήνικον, Διρκαῖον οἰκήσας πέδον.
ἢ δ' ἦλθ' ἀνάγκῃ πεδία Φοινικῆς λιπὼν
λέγοιμ' ἄν. ἦσαν τρεῖς Ἀγήνορος κόροι.
Κίλιξ, ἀφ' οὗ καὶ Κιλικία κικλήσκεται,
Φοίνιξ ὅθεν περ τοὔνομ' ἡ χώρη φέρει
καὶ Θάσος . . . . .

Quibus conferenda sunt, quae inveniuntur in Apollodori bibliotheca III $_1$ ex Hellanico sine dubio desumpta, quem Apollodorus ad verbum transscripsit: *Ἀγήνωρ δὲ γαμεῖ Τηλέφασσαν καὶ τεκνοῖ θυγατέρα μὲν Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον καὶ Φοίνικα καὶ Κίλικα. Τινὲς δὲ Εὐρώπην οὐκ Ἀγήνορος, ἀλλὰ Φοίνικος λέγουσι.* (ad Pherecyden respicitur!) . . *Ἀφανοῦς δὲ Εὐρώπης γενομένης ὁ πατὴρ αὐτῆς Ἀγήνωρ ἐπὶ ζήτησιν ἐξέπεμψε τοὺς παῖδας, εἰπὼν μὴ πρότερον ἀναστρέφειν πρὶν ἂν ἐξεύρωσιν Εὐρώπην. Συνεξῆλθε δὲ ἐπὶ τὴν ζήτησιν αὐτῆς Τηλέφασσα ἡ μήτηρ καὶ Θάσος ὁ Ποσειδῶνος· ὡς δὲ Φερεκύδης φησί, Κίλικος. Ὡς δὲ πᾶσαν ποιούμενοι ζήτησιν εὑρεῖν ἦσαν Εὐρώπην ἀδύνατοι . . . . ἄλλος ἀλλαχοῦ κατῴκισαν, Φοίνιξ μὲν Φοινίκην, Κίλιξ δὲ . . . . Κιλικίαν ἐκάλεσε. Κάδμος δὲ καὶ Τηλέφασσα ἐν Θρᾴκῃ κατῴκησαν. Ὁμοίως δὲ καὶ Θάσος ἐν Θρᾴκῃ κτίσας πόλιν Θάσον κατῴκησεν,*

tur, qua commotus Agenoris filius ex Asia in Europam transmigraverit. Ad haec adde quod ad Phoenissas (v. 61) adnotat Graecus explicator de excaecatione Oedipodis: ὅμοια καὶ Ἑλλάνικος. Quibus cum probatum sit Euripidem saepius e logographorum libris hausisse, quas versibus ornaturus erat fabulas, efficitur ut explicatoris illius testimonio ad Andr. 10 Xanthum et Euripidem mirifice de rebus Troicis congruisse testificantis, defensa magis quam iudicata videatur veterum Lydiacorum causa. Etenim concentus illorum cum nullo modo ita expediri possit ut Dionysius Scytobrachion, vir haud exigua litterarum scientia, materiam spuriis Lydiacis componendis ex Euripidis tragoediis petiisse credatur, novum et praeclarum praebet exemplum, quanta auctoritate apud veteres fuerit Xanthi liber, quem ab Ephoro, Euripide, Eratosthene, Mnasea lectitatum esse cognovimus.

II.

Herodotum logographorum libros nihil curasse qui statuere voluerunt, confisi sunt maxime despicientia horum auctorum quam et Thucydides et Herodotus prae se ferunt. Neque fieri potuit cum uterque historiarum scriptor nobilissimus contemptu quodam et risu in eos, qui prioribus temporibus historias fabulasve litteris mandarant despiceret, cum uterque in librorum confectione se id maxime operam dedisse profiteretur ut, quae narrare vellet, ea ab iis, qui coram vidissent audivissentque comperiret litteris vel communi fama haudquaquam fretus — fieri non potuit, dico, quin in suspicionem adducerentur logographi plurimis recentiorum. Itaque — accedebant enim nonnulli apud Strabonem [1]) et Clemen-

1) Strabo I p. 34 A. ed. Kramer p. 21. πρώτιστα

tem Alexandrinum [1]) loci, quibus historicos Graecos antiquissimos carmina epica in pedestrem transferre orationem consuevisse traditur — factum est ut qui summatim de logographorum scribendi arte et ratione disputavere, censerent [2]) eos omni arte critica et lepore in dicendo egentes sive sine ullis ornamentis monumenta temporum condidisse sive res memoriae prodidisse fabulae propiores quam historiae. Fuisse igitur multos, qui tales auctores Herodoto „Musis" conscribendis non multum materiae praebere potuisse existimarent, non est cur miremur; tamen vide quantum ab omni similitudine veri recedat statuere in ipso Herodoto adultam paene apparuisse historiam, cum unaquaeque ars a tenuibus exorsa initiis paullatim crevisse ab omnibus credatur. Hanc igitur de logographis sententiam resecandam paulum esse cum per se patet, tum a nobis unicuique probabitur, cui nobiscum Xanthi fragmenta permigrare libuerit.

γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον καὶ εὐδοκίμησεν. εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι λύσαντες τὸ μέτρον τἆλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον.

1) Clem. Al. Strom. VI p. 629 A. *τὰ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλος καὶ Ἀκουσίλαος ἱστοριογράφοι.* Non prorsus inter se consentiunt veteres de logographis; obstant his Strabonis et Clementis testimonia Dion. Halic. de Thuc. iud. cp. 5, 7, Ciceronis de oratore II 12 § 51.

2) Creuzer: die histor. Kunst d. Griech. Ed. II Lips. 1845; Hüllmann: Anfänge der griech. Geschichtsschreibung; Griechische Denkwürdigkeiten. Bonn 1840 p. 143 sqq. Ulrici: Charakteristik d. antiken Historiographie. Berol. 1833. Michael: de logographis, qui dicuntur, antiquissimis Graecorum historicis. Programm Zittau 1855. Oblocuti sunt: Dahlmann: Herodot aus sein. Buch sein Leben p. 108 sqq., Rogge: die Logograph. u. Herodot. Prutz: litterarhistor. Taschenbuch 1847 etc.

Xanthus quem Artaxerxis temporibus Lydiacis condendis deditum fuisse constat [1]), per multas Asiae minoris regiones iter fecerat, in Armeniam et usque ad Mattienos pervenerat (fr. 3). Quas adiit gentes, earum mores, vitae consuetudines, quin etiam linguam cognoscere studuit; operam dedit ut comperiret unde venissent, unde originem ducerent (fr. 5, 8), et cordi ei erat linguas populorum propinquorum inter se comparare (fr. 8) et exquirere unde dialecti Lydiae ortae esse viderentur. Quascunque adiit terras, in iis, quae natura loci, qui fructus, quid insigne, quid notatu dignum esset acutissime indagavit. In terrarum mutationibus cernendis, quo fuerit acumine, cum ex fragmento 4 [2]) colligi potest, tum maxime apparet ex fragmento 3 [3]), ubi

---

1) Suidae de Xantho locus: *Ξάνθος Κανδαύλου Λυδὸς ἐκ Σάρδεων · γεγονὼς ἐπὶ τῆς ἁλώσεως Σάρδεων. Λυδιακὰ βιβλία δ′*, corrigitur a Strabone: XIII p. 391 *Λυδὸς μὲν λέγεται εἰ δὲ ἐκ Σάρδεων οὐκ ἴσμεν.* Neque bene convenit Suidas cum Dionysio Halicarn. qui Xanthum inter eos nominat, qui *ὀλίγῳ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας* erant (de Thuc. hist. iud. cp. 5). Rem sic expedire voluit Creuzerus ut pro *Σάρδεων' Ἀθηνῶν* legendum esse coniceret, sed ut Müllero videtur, cuius sententiam sequi malim, minus recte. Ceterum cum ex fr. 3 appareat Xanthum Artaxerxe regnante scripsisse· de aetate eius acrius indagare supersedeamus.

2) Strabo XII p. 579 *Φησὶ ὁ τὰ Λύδια συγγράψας Ξάνθος διηγούμενος οἷαι μεταβολαὶ κατέσχον πολλάκις τὴν χώραν ταύτην* (Lydiam et Phrygiam) *ὧν ἐμνήσθη μέν που καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν καὶ δὴ καὶ τὰ περὶ τὸν Τυφῶνα πάθη ἐνταῦθα μυθεύουσι, καὶ τοὺς Ἀρίμους, καὶ τὴν Κατακεκαυμένην ταύτην εἶναί φασιν. κ. τ. λ.* Quibus cf. lib. XIII p. 628 regionis Catakekaumenes descriptionem.

3) fr. 3, Strabo I p. 49: *Ταῦτα δ' εἰπὼν (ὁ Ἐρατοσθένης) τὴν Στράτωνος ἐπαινεῖ δόξαν τοῦ φυσικοῦ, καὶ ἔτι Ξάνθου τοῦ Λυδοῦ · τοῦ μὲν Ξάνθου λέγοντος, ἐπὶ Ἀρταξέρξου γενέσθαι μέγαν αὐχμὸν, ὥστ' ἐκλιπεῖν ποταμοὺς καὶ*

Strabo refert: Xanthum propter multitudinem concharum et cheramidum, quas procul a mari passim invenisset, et propter lacus marinos quos, reliquias quasi maris, in Armenia, in Mattienis, in Phrygia inferiore invenisset, in eam sententiam adductum esse, ut prioribus temporibus regionibus istis mare superfusum fuisse putaret; quam propter observationem naturae, in logogra-

---

λίμνας καὶ φρέατα · αὐτὸν δὲ εἰδέναι πολλαχῇ πρόσω ἀπὸ τῆς θαλάσσης λίθους τε κογχυλιώδεις καὶ τὰ κτενώδεα καὶ χηραμίδων τυπώματα καὶ λιμνοθάλασσαν ἐν Ἀρμενίοις καὶ ἐν Ματτιηνοῖς καὶ ἐν Φρυγίᾳ τῇ κάτω · ὧν ἕνεκα πείθεσθαι τὰ πεδία ποτὲ θάλατταν γενέσθαι. — Patet Xanthum, cum in Armenia et in Mattienis ad maria interna perveniret, accessisse ad lacus, quos veteres „Thospitim" et „Mattianum" vocabant, quibus hodie nomina sunt „Wan-see" et „Urmia-see"; inde eum ad maris Caspii littora evadere voluisse mihi verisimillimum esse videtur. Quid enim quaeso aliud illius aetatis hominem commovere potuit ut tam asperas, tam remotas terras adiret, ut difficillimum ad Mattienos iter susciperet nisi maris Caspii visendi cupiditas? Sed utcumque haec res se habet, id tantum teneas velim, Xanthum in ipsa Media paululum commoratum esse ubi cultum Solis, quem Persae „Auramazda" appellabant, percipere posset. Persarum enim deorum opinionem resipit, quod a Xantho Catacecaumenes regionis rex „Arimous" quidam fuisse traditur, in quo Areimanium, quem vocare solebant posterioris aetatis Graeci Persarum daemonem (ab ipsis Angromainju nominatum), facile recognosces, si memineris eum habitasse in cavernis, in pessimo loco; ubi Sol occideret, ubi aquarum penuria et siccitas, ubi in desertis fames et sitis, ubi ferae et angues hominibus perniciei essent ibi regnare credebatur (cf. Duncker: Gesch. des Alterth. 4 Ed. Tom. IV p. 126/27). Vides quam bene cum his congruant, quae e Xantho petita apud Strabonem leguntur de ista regione: ἅπαντα ἀδένδρος, πλὴν ἀμπέλου τῆς τὸν Κατακεκαυμενίτην φερούσης οἶνον .... ἔστι δὲ ἡ ἐπιφάνεια τεφρώδης τῶν πεδίων · ἡ δὲ ὀρεινὴ καὶ πετρώδης, μέλαινα ὡς ἂν ἐξ ἐπικαύσεως .... Ξάνθος δὲ καὶ Ἀριμοῦν τινα λέγει τῶν τόπων τούτων βασιλέα.

pho sane admirabilem, eum meritis laudibus elatum esse ab Eratosthene, quis impugnet?

Fundamentum tamquam historiae Lydorum a Xantho subiectum esse descriptionem terrae, qua flumina, aedes, oppida Lydiae enumerabantur, ex multitudine fragmentorum, quibus urbium tantum et fluminum nomina servantur, computari posse, non est cur negemus, quamquam nihil obstat quominus causam eius rei, cum maior pars illorum fragmentorum Stephano Byzantio debeatur, ex munere huius lexicographi repetamus. Neque satis habuisse Xanthum Lydorum explicare sedes, sed respexisse eum saepius ad populos Lydis finitimos, ut ad Phryges (fr. 6, 7), Lycios (fr. 24, 26), Mysos (fr. 8), Syrios (fr. 23), ipsis demonstratur fragmentis. Deinde cum ad res a Lydis gestas aggrederetur narrandas ab historia fabulari (fr. 9)[1]) initium cepit neque omisit Graecorum fabulas, quae ad Lydos vel Lydorum terras pertinere viderentur (fr. 9, 13, 23). Tum ad Troica devenit (Schol. Eurip. Andr. 10, fr. 8) et Phrygum in Asia ex Macedonia transmigrationem, Troianorum terram, Mysis ex Olympo monte propulsis, ab iis occupatam novosque populorum fines descripsit (fr. 5, 8); tum de antiquissimis Lydorum regibus, quas habebat, narrationes fabularum plenas retulit: de Alcimo (fr. 10), Mopso (fr. 12), Camblete (fr. 19), inde vero, quo descenderit, ex fragmentis, quae sub nomine Xanthi feruntur, nullo modo colligi potest, etsi per se probabile sit Lydorum historias eum usque ad Croesum et Cyrum deduxisse.

1) Qui, ut Welckerus, narrationem de hermaeorum origine admodum mirabilem, quae in fr. 9 legitur, non offensione vacare putat, is fragmentum illud temerius Xanthi reliquiis insertum esse reminiscatur. Id enim cum unicum sit fragmentum quod Xanthi nomine inscriptum in Etymologico magno inveniatur, cum neque Xanthus Lydius, sed Xanthus quilibet pro eius auctore tradatur, neque operis unde petitum sit, neque numeri libri mentio fiat, quid est cur ad Xanthi Lydiaca referendum esse credatur?

Iam vero tot, quae ex reliquiis tam paucis afferre licuit, summae praestantiae argumentis satis demonstratum esse puto, quanti faciendus sit logographus, qui perinde ac Graecis litteris barbarorum linguis imbutus Asiae terras ab Ionum sedibus ad Mattianum permeavit lacum locorum natura, gentium moribus cognoscendis aeque intentus. Nonne merito is ab Eratosthene laudatus est? Nonne iure eum in summorum auctorum numero reponendum esse censuit Dionysius Halicarnassensis? Quid igitur causae est, cur Ephoro fides non habeatur testificanti Xanthi librum incitamentum fuisse Herodoto [1]), cum Xanthus in historiarum conscribendarum arte et ratione aut non multum aut nihil omnino Herodoto cessisse videatur?

Cum Xanthi Lydiacis Nicolai Damasceni opus necessitudine quadam coniunctum esse Creuzerus haud levibus testimoniis probavit; qui cum Stephanum Byzantium saepius eadem ex utriusque auctoris libris referre (fr. 15, 23) cerneret et animadverteret Xantho deberi, Dionysio Halicarnassense (Antiq. I, 28) teste, quae ex Nicolai libris desumpta s. v. *Τόῤῥηβος* a Stephano memoriae produntur, censuit Nicolaum Xanthi Lydiaca exscripsisse vel potius transscripsisse, operamque dedit, ut quae ex Nicolai fragmentis veteri logographo tribuenda essent statueret. Quorum ei alterum — rationem intercedere quandam inter Nicolai et Xanthi opera — facile assensi sunt, qui post eum Damasceni fragmenta tractaverunt viri doctissimi Welckerus, Orelli, Müllerus, in altero autem omnes paene inter se dissenserunt; nam alius alia Nicolaum ex Xantho hausisse voluit, ita ut vix unum iam exstet fragmentum Nicolai, quod ex Ly-

1) Ita Dahlmannus: Herodot p. 121, qui sine iusta causa Ephori sententiam in dubium vocavit (qua de re vide infra p. 26 sqq.) verba eius (apud Athenaeum XII c. 11 p. 515 D) *τὰς ἀφορμὰς διδόναι* reddere voluit.

diacis petitum esse unus ex iis nondum coniecerit. Denuo igitur nobis res tractanda est et ad rationem, quae inter utrumque intercedit, demonstrandam, apponamus quae ab auctoribus illis similiter narrata esse videntur, quo commodius ab ipso lectore comparentur.

Xanthus.	Nicolaus.
Fr. 1. *Ἄτυος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει Λυδὸν καὶ Τόῤῥηβον· τούτους δὲ μερισαμένους τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ἐν Ἀσίᾳ καταμεῖναι ἀμφοτέρους .... Ἀπὸ Λυδοῦ μὲν γίγνονται Λυδοὶ ἀπὸ δὲ Τοῤῥήβου Τόῤῥηβοι.*	Xanthi narrationem Nicolao notam fuisse apparet his: St. Byz.: *Τόῤῥηβος πόλις Λυδίας ἀπὸ Τοῤῥήβου τοῦ Ἄτυος. Ἐν δὲ τῇ Τοῤῥηβίδι ἔστιν ὄρος κ. τ. λ. .... ὡς Νικόλαος τετάρτῳ.*
Fr. 5. *ὁ μὲν γὰρ Ξάνθος ὁ Λυδὸς μετὰ τὰ Τρωϊκά φησιν ἐλθεῖν τοὺς Φρύγας ἐκ τῆς Εὐρώπης καὶ τῶν ἀριστερῶν τοῦ Πόντου· ἀγαγεῖν δ' αὐτοὺς Σκαμάνδριον ἐκ Βερεκύντων καὶ Ἀσκανίας.*	Fr. 23. ap. Dindorf. p. 21. de istis rebus Nicolaum etiam aliquid tradidisse verisimile est, cf.: *Ἀσκανία πόλις Τρωική. Νικόλαος τετάρτῃ ἱστορίας Σκαμάνδριος Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ἐκ τῆς Ἴδης καὶ τοῦ Δασκυλείου καὶ τῆς Ἀσκανίας καλουμένης, ἣν ἔκτισεν ὁ Αἰνείου Ἀσκάνιος.*
Fr. 10. *Ξάνθος ἱστορεῖ Ἄλκιμόν τινα βασιλεῦσαι τῆς ἐκεῖσε χώρας, εὐσεβέστατον καὶ πρᾳότατον ἄνθρωπον καὶ ἐπ' αὐτοῦ γενέσθαι εἰρήνην βαθεῖαν καὶ πλοῦτον πολύν, ἀδεῶς καὶ ἀνεπιβουλεύτως ζῆν ἕκαστον· εἶτα δὲ ἐπειδὴ ἑπτὰ ἔτη ἦν τῷ Ἀλκίμῳ προςελθόντας τοὺς Λυδοὺς παγγενῇ τε καὶ πανδημεὶ προςεύξασθαι, καὶ αἰτῆσαι τῷ Ἀλκίμῳ τοιαῦτα ἔτη δο-*	Eadem de Alcimo, optimo rege, Nicolaum prodidisse hisce cognoscitur verbis (fr. 48, Dindorf p. 30, 25—27) *κατελθὼν δὲ ὁ Ἄρδυς ἐβασίλευσε μετὰ Ἀκίμιον πάντων ἄριστα καὶ σφόδρα γίγνεται Λυδοῖς καταθύμιος καὶ φιλοδίκαιος.* Nominum *Ἄλκιμος* et *Ἀκίμιος* diversitatem nullius momenti instar esse unicuique patet.

Xanthus.	Nicolaus.
θῆναι ἐς τὸ Λυδῶν ἀγαθόν. ὃ καὶ γέγονε καὶ ἐν εὐποτμίᾳ καὶ εὐδαιμονίᾳ πολλῇ διῆγον.	
Fr. 11. *Ἡ δὲ Ἀτεργάτις ὥσπερ Ξάνθος λέγει ὁ Λυδός, ὑπὸ Μόψου τοῦ Λυδοῦ ἁλοῦσα, κατεποντίσθη μετὰ Ἰχθύος τοῦ υἱοῦ ἐν τῇ περὶ Ἀσκάλωνα λίμνῃ διὰ τὴν ὕβριν, καὶ ὑπὸ τῶν ἰχθύων κατεβρώθη.*	Fr. 18. *„Μόψος ὁ Λυδὸς . . . . ταῦτα δὲ πράξας αὖθις ἐπὶ τὴν Κράβον ἐστάλη καὶ πολὺν χρόνον αὐτὴν πολιορκήσας εἷλε καὶ ἐπόρθησε, τοὺς δὲ ἀνθρώπους εἰς τὴν πλήσιον λίμνην ἀγαγὼν οἷα ἀθέους ἐπόντωσεν.*
Fr. 12. *Ξάνθος δὲ ἐν τοῖς Λυδιακοῖς, Κάμβλητα φησί, τὸν βασιλεύσαντα Λυδῶν, πολυφάγον γενέσθαι καὶ πολυπότην ἔτι δὲ γαστρίμαργον· τοῦτον οὖν ποτὲ τῆς νυκτὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα κατακρεουργήσαντα καταφαγεῖν· ἔπειτα πρωΐ, εὑρόντα τὴν χεῖρα τῆς γυναικὸς ἐν τῷ στόματι, ἑαυτὸν ἀποσφάξαι περιβοήτου τῆς πράξεως γενομένης.*	Fr. 22. *Ὅτι Καμβλίτας βασιλεὺς Λυδίας. τοῦτον λέγεται οὕτω γαστρίμαργον σφόδρα γενέσθαι ὥστε καὶ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐπιθύσαντα καταφαγεῖν· αὐτός γε μήν, ἑαυτὸν δόξας ὑπὸ φαρμάκων βεβλάφθαι, περιβοήτου τοῦ πράγματος γενομένου . . . . εἶπεν . . . . ταῦτα εἶπεν καὶ ὁρώντων πάντων ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν.*

Fr. 15 St. Byz.: *Λυκοσθένη, πόλις Λυδίας· Ξάνθος πρώτῃ Λυδιακῶν· ἣν καὶ Λυκοσθένειαν Νικόλαός φησιν κ. τ. λ.*

Thylonem quendam Xanthus memoravit in primo historiarum libro [1]), unde intellegitur vixisse eum anti-

1) Fragm. 16: Xanthus historiarum auctor in primo earum tradit, occisum draconis catulum revocatum ad vitam

quissimis temporibus; eius memoria redit apud Nicolaum in fragmento 48 (p. 31 ap. Dindorf), ubi Meles, Lydorum rex, imperium tradidisse dicitur: *Σαδυάττῃ τῷ Κάδυος, γένος ὄντι τὸ ἀνέκαθεν ἀπὸ Τύλωνος.*

Xanthus.	Nicolaus.
Fr. 17. *Ἀρδύνιον, πόλις ἐν Θήβης πεδίῳ, ὡς Ξάνθος ἐν Λυδιακῶν δευτέρῳ.*	Fr. 48 p. 33. *ὅστις πόλιν Ἀρδύνιον ἔκτισεν ἐν Θήβης πεδίῳ.*

Fr. 23. „*Ἀσκάλων, πόλις Συρίας πρὸς τῇ Ἰουδαίᾳ. Ξάνθος ἐν τετάρτῳ Λυδιακῶν φησι, ὅτι Τάνταλος καὶ Ἄσκαλος παῖδες Ὑμεναίου· τὸν δὲ Ἄσκαλον ὑπὸ Ἀκιαμοῦ τοῦ Λυδῶν βασιλέως αἱρεθέντα στρατηγόν, εἰς Συρίαν στρατεῦσαι· κἀκεῖ παρθένου ἐρασθέντα πόλιν κτίσαι ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτως ὠνόμασε· τὰ αὐτὰ καὶ Νικόλαος ἐν τετάρτῃ ἱστορίᾳ.*"

Ex viginti quatuor vel quinque fragmentis Lydiacorum novem res a Nicolao Damasceno traditas tangunt; inde sumatur quantum Nicolaus e Xanthi libris transscripsisse putandus sit. Atque si paullo diligentius utriusque scriptoris reliquias composueris, videbis eas nonnunquam ipsis verbis congruere, ut in fr. 11 Xanth. *κατεποντίσθη ἐν τῇ περὶ Ἀσκάλωνα λίμνῃ*, Nic. Dam. fr. 18 *εἰς τὴν πλήσιον λίμνην ἀγαγὼν ἐπόντωσε;* Xanth. fr. 12 *πολύφαγον γενέσθαι .... ἔτι δὲ γαστρίμαργον .... νυκτὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα καταφαγεῖν .... ἑαυτὸν ἀποσφάξαι περιβοήτου τῆς πράξεως γενομένης*, Nic. Dam. fr. 22 *γαστρίμαργον γενέσθαι ὥστε καὶ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα .... καταφαγεῖν· περιβοήτου δὲ τοῦ πράγματος γενομένου .... ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν*, quibus locis vocabula

---

a parente, herba quam balin nominat; eadem Thylonem, quem draco occiderat restitutum saluti. —

ipsa, quibus Xanthus in re narranda usus erat, exstare manifestum est. Ceteri, qui cum Nicolai fragmentis congruunt, loci Lydiacorum, cum ad fragmenta minus verbosa et ad historiam fabularem pertineant, non multum valent ad nos de Lydiacorum indole et argumento edocendos, duo vero illi de Alcimo (fr. 10) et de Tylone (fr. 16) ad nobilissimum Nicolai fragmentum 48 (Dindorf p. 27—36) spectant, in quo Lydorum historia ab Ardye rege usque ad Gygis tempora deducitur. Quod ibi narratur Ardyn regem iustissimum fuisse omnium, qui post Alcimum in Lydia regnarent, eius vim is tantum satis percipiet, qui meminerit Xanthum tradidisse memoriae Alcimo regnante auream tamquam fuisse Lydiae aetatem (fr. 10); et qui apud Nicolaum in eodem fragmento legerit Sadyattem, Cadyis filium, originem duxisse a Tylone, nobilitatem gentis illius non plane intellexerit nisi loci Lydiacorum ei in mentem venerit, quo antiquissimis Lydiae temporibus Tylonem vixisse proditum erat (fr. 16). Neque casu accidisse existimem, ut Ardynii urbis, quam Nicolaus ibidem ab Arnosso Mysorum rege, cuius cum filia Sadyattes matrimonium inire vellet, in campo Thebaeo conditam esse refert, a Xantho in secundo Lydiacorum libro mentio facta sit. Quamobrem cum in illo Nicolai fragmento duo loci occurrant, qui apte percipi non possunt nisi ab iis, qui ad Xanthi Lydiacorum fragmenta refugiunt, cum tertio loco a Nicolao renarrari verisimile sit, quae ante eum a Xantho narrata essent, patet, mea quidem sententia, totum illud fragmentum nobilissimum e Xanthi Lydiacis effluxisse; namque tribus Lydiacorum frustulis ei diversis locis inclusis demonstratur omnia illa eidem auctori esse tribuenda.

Iam vero ulterius progredi licet et alia Xantho reddere fragmenta. Tam arcte enim cum fragmento 48 coniuncta sunt quae in fragmentis 61, 62, 63

de rebus a Mermnadis gestis referuntur, tam aperta eiusdem auctoris vestigia in iis inveniuntur, ut ea dirimere et alii cuivis addicere scriptori nequeamus; cui illud (fr. 48) e Xanthi Lydiacis petitum esse persuasum est, is dubitare non potest, quin haec etiam fragmenta (61, 62, 63) ex eodem fonte hausta sint. Quibus quae continentur narrationes haud ita magnam habent ubertatem verborum et varietatem dictionis, sunt vero tanta in rebus narrandis diligentia et ea temporum et locorum notitia, ut iis ipsis summae praestantiae argumentis innisi viri doctissimi Stein[1], Gelzer[2]) Floigl[3]) conicerent, Xanthum earum esse auctorem, Dionysii Halicarnassensis memores iudicii: *Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς ἱστορίας παλαιᾶς, εἰ καί τις ἄλλος ἔμπειρος ὢν, τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος* (Antiqq. Rom. I, 28). — Magnam fidem habendam esse memoriis, quas de Lydorum regibus Nicolaus tradit, cum summi viri statuerunt[4]), tum ipsis probatur fragmentis. Ipse enim Nicolaus seu Xanthus se regum Lydiorum monumentis vel stemmate in historiis condendis usum esse profitetur, postquam de Sperme, Lydorum tyranno, nonnulla protulit, his verbis (fr. 48 p. 30): *Σπέρμης μὲν οὕτως ἐτελεύτησε βασιλεύσας ἔτη δύο· ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις οὐκ ἀναγράφεται.* — Quales igitur Romae erant libri pontificii et annales in Cereris templo in foro boario[5]), tales fuisse videntur Sardibus tabulae regum Lydiorum, in quibus anni regum et res

1) ad Herod. I, 8.

2) Rhein. Museum XXXV 1880: „Das Zeitalter des Gyges", continuatio p. 514—28, p. 514.

3) Floigl: Cyrus u. Herodot p. 134.

4) Gelzer: Rhein. Mus. XXX 1875 p. 243, Floigl: l. l. p. 134—38, cf. not. p. 127.

5) cf. Schwegler: Röm. Gesch. I p. 31 sqq., Nitzsch: Röm. Annalistik p. 208 sq.

praeclare gestae breviter referebantur; vides quam accommodata sint talium annalium scribendi consuetudini haec excerpta: *Ἄρδυς μὲν βασιλεύσας ἑβδομήκοντα ἔτη θνήσκει; ἐπὶ Μήλεω δὲ βασιλεύσαντος Λυδῶν σφόδρα ἐλίμηνεν ἡ Λυδία καὶ οἱ ἄνθρωποι ἐπὶ μαντείας ἐτράποντο* (Dindorf p. 31, 13—16); et *συνηρίθμησε καὶ τὸν Λύδιον στρατὸν ὁ Ἄρδυς καὶ ηὗρεν ὥς φασι τρεῖς μυριάδας ἱππέων* (Dind. p. 30, 27 sqq.), in quibus si ad dicendi genus respicis fontis colorem, si ad exercitus numerum veritatem praeclare servasse Xanthus putandus est; nam posterioribus temporibus barbarorum regum exercitus et communi fama et scriptorum mendaciis immensa multitudine hominum fuisse ferebantur.

Neque vero eo procedendum est, ut omnia, quae a Nicolao de rebus ad Lydos pertinentibus traduntur, e Xanthi Lydiacis petita esse censeamus. Insunt enim eius fragmentis narrationes quaedam, quae incorruptum et simplicem veteris logographi sermonem non referunt, posteriorius aetatis auctori magis conveniunt. Nam quae fragmento sexagesimo de Magnete poëta, Gygi carissimo, de Thracesiis ab Alyatte ex Mysia in Lydiam transductis fragmento septuagesimo narrantur versibus ornata et in ostentationem comparata, ea e Xanthi Lydiacis fluxisse iam ob eam rem negare licet, quod in iis desiderantur, quae in fragmentis a nobis Xantho tributis, saepius inveniuntur vestigia dialecti Ionicae [1]). Neque quidquam magis abhorret ab antiquissimo Lydiacorum auctore, qui dum intellegatur quid dicat, verba nihil

1) Utitur Nicolaus his locis Genetivo Ionico, cum nomina, quae in litteras „ης“ exeunt, casibus immutat; cf. p. 27 Dind.: *Σαδυάττεω τοῦ Λυδῶν βασιλέως*; p. 30 *Δάσκυλος Γύγεω γένος Μερμνάδης*; p. 31 *ἐπὶ Μήλεω δὲ βασιλεύσαντος*; in narratione autem de Magnete poëta nulla occurrit dialecti Ionicae forma, et illa de Thracesiae gentis origine incipit his: *ἐπὶ ἡμερῶν Ἀλυάττου*.

curat, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita, qua illarum Nicolai reliquiarum scriptor utitur, qui verbis copiosis et splendidis gaudet.

Accedit vero, quo facilius res percipi cognoscique possit, ad haec duo tertium fragmentum, quo narratur, quemadmodum Croesus, cum iam rogum inscendisset, Solis auxilio et Persarum regis clementia servatus a Cyro in amicitiam receptus sit (fr. 67). Id ex Lydiacis non desumptum esse luce clarius demonstrari potest. Res non solum eo apparet quod in hoc tertio eadem atque in illis duobus occurrit splendida dictio et verbosa, quae a Xanthi scribendi consuetudine prorsus aliena est, et quod in hoc etiam fragmento desiderantur vestigia dialecti Ionicae, sed multo magis eo quod scriptorem habemus, qui materiem copiosae illius narrationis praebuit — Herodotum! Cuius in modum Croesi sortem tradere, cum auctor illius fragmenti sibi proposuisset, patrem historiae et arte narrandi et rebus narratis superare studuit. Ornata igitur oratione usus est, mirabilia multa addidit, rem auxit et amplificavit[1]). Sibyllam finxit oraculum verbosum pronuntiantem et Croesum fecit cum filio colloquentem, priusquam in rogum ascenderet, neque Thaletis oblitus est, qui more Herodoteo caeli statum praedicit, neque omisit praecepta Zoroastris. Omnia fere quae de Croeso apud Herodotum paucis verbis adumbrata legisti, ea apud Nicolaum fusius et in ostentationem comparata relegis. Exemplo utar: He-

1) E Xanthi genuino opere hoc Nicolai fragmentum fluxisse Orelli solus (Nicolai fragm. ad h. l.) coniecit; Müllerus totius narrationis colore hanc eius coniecturam redargui statuit (Fragm. I p. 40). Steinius primus fuisse videtur, qui cognovit nonnulla in Nicolai narratione Herodoto deberi; eum secutus est Benedictus, in dissertatione: de oraculis ab Herodoto commemoratis, Bonn 1871.

rodotus I, 85 oraculum tradit, quod Pythia de Croesi filio muto ederat, finiens his verbis: αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ, Nicolaus filium eundem inducit clamantem: οἴμοι πάτερ ἡ σὴ εὐσέβεια· πότε ἡμῖν οἱ θεοὶ βοηθήσουσι; . . . ἐπεὶ δ᾽ ἠξράμεθα δυστυχεῖν τότε πρῶτον φωνὴν ἀφῆκα· καὶ μ᾽ εἰς τοῦτο μόνον ἤθρωσαν οἱ θεοί, ὅπως ἂν ὀδύρωμαι τὰς ἡμετέρας τύχας. Perspicuum iam est, opinor, quae ratio intercedat inter utriusque narrationes; sed ne quid scrupuli resideat, his quaeso locis animum advertas:

Legimus apud Nicolaum	apud Herodotum.
σιωπῆς δὲ γενομένης στενάξας μέγα εἰς τρὶς ἀνακαλεῖται πάλιν Σόλωνα (ὁ Κροῖσος).	ἀναστενάξαντα (τὸν Κροῖσον) ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐς τρὶς ὀνομάσαι Σόλων.
(ὁ δὲ Κῦρος ταῦτα) ἀκούσας ἐδάκρυσε ἐννοηθεὶς ὅτι .... βασιλέα οὐδὲν ἐλάττωνα αὐτοῦ τὴν τύχην ἐμπιπρὰς ...	τὸν Κῦρον ἀκούσαντα.... καὶ ἐννοηθέντα ὅτι καὶ αὐτὸς ἄνθρωπος ἐὼν ἄλλον ἄνθρωπον γενόμενον ἑωυτοῦ εὐδαιμονίῃ οὐκ ἐλάττονα....

Croesus Cyrum alloquitur

ἐπεί μέ σοι θεοὶ ἔδοσαν.	ἐπεί με θεοὶ ἔδωκαν δοῦλόν σοι.
Κῦρος δὲ γελάσας καὶ τάδε, ἔφη, δώσειν καὶ ἄλλων οὐκ ἀτυχήσειν αὐτὸν μειζόνων.	Κῦρος δὲ γελάσας εἶπεν· καὶ τούτου τεύξεαι παρ᾽ ἐμοῦ Κροῖσε καὶ ἄλλου παντὸς τοῦ ἂν ἑκάστοτε δέῃ.

Nemo igitur alterum alterius opere usum esse negabit [1]). Neque dubium esse potest quin Nicolai Da-

1) Quam ad rem confirmandam iuvat Nic. Dam. fragmentum 51 conferre cum verbis Herodoti IV cp. 160.

masceni auctor Herodoti verba commutaverit, non hic verba illius. Namque Herodotum Nicolai auctoris descriptionem novisse propterea statui nequit, quia, ut supra demonstravimus, apud Nicolaum multa traduntur, quorum apud Herodotum nulla mentio fit, quamvis ad rem illustrandam plurimum valeant. Nicolaus igitur ipse aut eius auctor hoc loco Herodoteam narrationem transscripsit et amplificavit; neque vero ob eam rem duobus fontibus in rebus Lydorum narrandis usus esse putandus est [1]), quod iam per se minus veri simile est.

Nic. fr. 51 „Ὅτι *Κυρηναίοις οἱ Βάττου παῖδες Ἀρκεσιλάος καὶ Λέαρχος πρὸς ἀλλήλους στασιάσαντες μάχην ἤγειραν Λιβύας ἐπ' αὐτοὺς ἐνεγκόντες καὶ ἡττῶνται Κυρηναῖοι· ἑπτακισχίλιοι γὰρ ἀπέθανον ἐν τῷ πολέμῳ. Ἀρκεσίλαος δὲ ἐπὶ τούτοις φάρμακον πίνει· δυσθνητοῦντα δ' αὐτὸν ὁ ἀδελφὸς ἦγξε Λέαρχος. τὸν δὲ Λέαρχον ἡ τοῦ Ἀρκεσίλεω γυνὴ κτείνει Ἐρυξώ. τὴν δὲ ἀρχὴν ὁ τοῦ Ἀρκεσίλεω παῖς ἐκδέχεται Βάττος χωλὸς ὤν.*

τούτου δὲ τοῦ Βάττου παῖς γίνεται Ἀρκεσίλεως. ὃς βασιλεύσας πρῶτα τοῖσι ἑαυτοῦ ἀδελφοῖσι ἐστασίασε, ἐς ὅ μιν οὗτοι ἀπολιπόντες οἴχοντο ἐς ἄλλον χῶρον τῆς Λιβύης καὶ .... ἀπιστᾶσιν ἀπὸ τῶν Κυρηναίων τοὺς Λιβύας ... συμβαλόντες δὲ ἐνίκησαν (οἱ Λίβυες) τοὺς Κυρηναίους τοσοῦτο ὥςτε ἑπτακισχιλίους ὁπλίτας Κυρηναίων ἐνθαῦτα πεσεῖν. μετὰ δὲ τὸ τρῶμα τοῦτο Ἀρκεσίλεων μὲν κάμνοντά τε καὶ φάρμακον πεπωκότα ὁ ἀδελφεὸς Ἁλίαρχος ἀποπνίγει, Ἁλίαρχον δὲ ἡ γυνὴ ἡ Ἀρκεσίλεω δόλῳ κτείνει, τῇ οὔνομα ἦν Ἐρυξώ. διεδέξατο δὲ τὴν βασιληΐην τοῦ Ἀρκεσίλεω ὁ παῖς Βάττος, χωλός τε ἐών ....

1) Non est enim cur duo illa, quae Xantho non tribuimus Nicolai fragmenta, ex rerum a Lydis gestarum historia petita esse credere cogamur (fr. 60, 70) — deest enim argumentandi necessitas. De ceteris locis, quos ex Lydiacis effluxisse Creuzerus coniecit: Aristotel. de mirab. auscult. c. 39, c. 53, Plin. H. N. VII, 38 verba facere omitto, cum certi quidquam de eis statuere non possim.

Quid enim est cur negemus hoc de Croeso fragmentum non ei auctori, cui cetera de Lydis fragmenta tribuenda sunt — Xantho, sed ei deberi posterioris aetatis scriptori, quem in Cyri historia narranda sequitur Nicolaus? Sic igitur sentio: tribus 60, 67, 70 exceptis omnia, quibus res a Lydis gestae tanguntur, Nicolai fragmenta e Xanthi Lydiacis desumpta et eorum reliquiis sunt inserenda. — Sunt fragmenta: 17, 18, 20, 22, 23, 48, 61, 62, 63 apud Dindorfium (Historici Graeci minores. Lips. 1870).

III.

Restat ut de ratione quae inter Herodoti et Xanthi libros intercessisse dicitur, quid statuendum sit, explorare conemur. Cuius quaestionis cum fundamentum sit Athenaei locus (XII cap. 11, p. 515 D) *Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ* (Xanthi) *ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος*[1]), primum nobis investigandum videtur, quanti faciendum sit hoc Ephori testimonium.

1) Ne quid neglegentia praeteriisse videar, Benedicti de hoc loco nimis argutam sententiam apponam, quamquam non multos in eam procubituros esse spero. Hic in dissertatione „de oraculis ab Herodoto commemoratis" Bonnae 1871 p. 14 sq. profert haec: „miror nullum adhuc animum advertisse totam loci structuram talem esse ut facere non possimus quin vitium statuamus; illud enim extremum *μνημονεύει αὐτοῦ κ. τ. λ.* valde mihi videtur obscurum esse: nam primum quo spectet *αὐτοῦ* nihil docet nisi tota sententia; referendum est ad Xanthum; tum autem verba *ὡς παλαιοτέρου ὄντος κ. τ. λ.* significant nihil aliud nisi Xanthum maiorem esse Ephoro et Herodoto ansam dedisse. Ephorus vero et Herodotus sunt aetate plane diversi. Persuasum mihi est Ephorum nullo modo sententiam tam obscuram et ambiguam qualis est apud Athenaeum dicere potuisse".

Athenaeum ipsos Ephori libros de ea re adiisse neque apud quemvis auctorem legisse hanc, quam profert, sententiam, Hachtmannus copia locorum innisus, quibus Ephorum laudat Athenaeus libri numero ex quo citat addito, comprobavit; idem postquam diligentissime de Ephori arte et ratione critica inquisivit, in numero dignissimorum, quibus fides habeatur, eum reponendum esse censuit [1]). Creuzerus etiam et Kirchhoffius, viri sane doctissimi, quidquam esse cur Ephori testimonio diffideretur negaverunt, atque monuerunt eius auctoritatem permagni aestimandam esse, quod utriusque scriptoris — Xanthi et Herodoti — de rebus a Lydis gestis narrationes ipse inter se comparasse putandus esset [2]). Itaque mirari licet Dahlmannum [3]), cui Welckerus [4]) assensus est, sine iusta causa Ephori iudicium gravissimum in dubium vocasse. Etenim cum eius testimonium refellere conaretur ostendens nonnulla ab Herodoto non eodem modo narrari, quo a Xantho narrata essent, quis est quin intellegat id ad rem diiudicandam aut parum aut nihil omnino valere? Atque vide eius argumenta!

Ab Herodoto I, 94 traditur annonae causa ab Atye Lydorum rege partem Lydorum Tyrrheno, Atyis filio, duce ex Asia dimissam esse, qui navibus, quas Smyrnae aedificassent, ad Italiam appulsis, sedibus in Etruria

---

1) Strabonem advocavit ad Ephori artem criticam illustrandam; namque VIII p. 336, X p. 451, XI p. 508 de alio auctore vix cogitari potest.

2) Creuzer: histor. Kunst p. 289, Kirchhoff: über die Entstehungszeit des herodoteisch. Geschichtswerkes, Berol. 1878, p. 31.

3) Herodot. etc. p. 121.

4) Kleine Schriften p. 432. Ne Müllerus quidem Welckerum sequi vult I, XXI dicens: „illud quod Ephorus dicit de vi, quam in Herodotum Xanthi opus exercuerit, nescio an recte in dubium vocavit Dahlmannus".

collocatis nomen „Tyrrheni" a Tyrrheno duce accepissent. Qua de re Xanthum nihil referre, Dionysius Halicarnassensis memoriae prodit [1]), neque quidquam narrare eum de Lydorum colonia in Italiam deducta. Atyis filiorum mentionem facere eum duorum Lydi et Torrhebi, utrumque vero regno patris diviso in Asia mansisse et ex altero ortos esse Lydos, ex altero Torrhebos. — Quamvis nominum similitudinem tantam esse, ut ansam praebere posset Tyrrhenorum originem a Torrhebo Lydorum rege deducere Dahlmannus concederet, noluit tamen concedere fieri potuisse, ut Herodotus Xanthi narrationem sibi notam silentio praeteriret. Quid vero obstat quominus Herodotus ipse, cum aliunde audivisset a Tyrrheno Lydorum rege Tyrrhenos ducere originem, rem ad Torrhebum, Atyis filium, Lydi fratrem, quem e patria emigrasse et auctorem gentis Torrheborum fuisse apud Xanthum legerat, rettulisse credatur? Patet enim narratiunculae Herodoteae de Lydis inopia adeo oppressis ut famis sedandae causa pilam, aleam, alios ludos sibi excogitarent, veterem Lydorum fabulam subesse [2]). Si vero Herodotus ipse reges Tyrrhenum et Torrhebum in unum confudisse putatur, iam perspicitur cur Xanthum de migratione Tyrrhenorum nihil narrantem silentio praeterierit. — Deinde Dahlmannus litem intendit Creuzero [3]), qui Herodoti verbis I, 93 *θωύματα δὲ ἡ γῆ ἡ Λυδίη ἐς συγγρα-*

1) Antiqq. Rom. I, 28.

2) Cf. Baehr: Herodoti Musae, vol. I excurs. III p. 839. Larcherus accurato examine ad Herodoti locum I, 94 instituto (I p. 377 sqq., not. 266) sensit „haec de industria ab Herodoto Lydorum ipsorum ex fama et fide tradi; eoque magis tradi, quod ille haec a Xantho neglecta vidisset. Herodotum autem Xanthi narrationes falsas, quas putabat refellendas, supplenda sibi sumpsisse monuit Creuzerus in Symb. II p. 828 not."

3) Creuzer. hist. Graec. fragm. p. 169/70.

φρὴν οὐ μάλα ἔχει κ. τ. λ. Xanthum, multa mirabilia de Lydorum terra tradentem, perstringi suspicatus erat; namque sibi persuasum esse his ipsis effici verbis ut Xanthi opus ab Herodoto neglectum esse sentiremus.

Utriusque viri doctissimi opinionem arbitrio magis quam argumentis inniti apparet; nobis vero, verentibus ne plus illis verbis tribuamus quam res et veritas ipsa concedat, fatendum est certo sciri non posse, utrum Herodotus hoc loco Xanthum aliumve quemvis auctorem tangere, an Lydorum terrae naturam simpliciter et vere describere voluerit.

His duobus argumentis, quibus Ephori sententia non sit refutata, tertium adiunxit Dahlmannus. Manifestum esse, dixit, Herodotum totam rerum a Lydis gestarum historiam persequi noluisse, nonnullis autem locis cognosci, plura eum de iis cognovisse quam referre ei in animo fuisset, licere igitur mirari apud eum ne nomen quidem Alcimi regis inveniri, qui a Xantho summis laudibus elatus esset. Quorum ego alterum — plurimum enim valet ad Ephori auctoritatem confirmandam illud: Herodotum plura de Lydorum historia accepisse quam narrasse — ei valde adsentior, in altero autem eum parum caute egisse arbitrer, quod Alcimi regis ab Herodoto mentionem factam esse negavit. Nam haud procul a veritate vel a similitudine veri Steinius [1]) videtur aberrasse suspicatus vetustissimum, qui a Xantho Alcimus a Nicolao Acimius vocatur, regem ab Herodoto vocari Alcaeum, Heraclis filium. Facile enim fieri potuit ut Herodotus Alcimum barbarum nomen ignotum in Alcaeum Graeco lectori notissimum commutaret, memor fortasse Heraclis avo nomen fuisse Alcaeo. Utcunque vero res se habet, patet iam, opinor, haec tria quae apud Dahlmannum reperire potui argumenta vix minimi

1) ad loc. Herodt. I, 7.

momenti instar esse ad rem diiudicandam; quibus cum vir doctissimus demonstrare vellet Herodotum in conscribendis historiis Xanthi Lydiacis non usum esse, nimis indulsisse videtur coniecturae, parum substitisse in testimoniorum memoria. Nam si graviora, quibus Ephori fidem imminuere conaretur, argumenta afferre non potuit, mea quidem sententia eius testimonium in dubium vocare non debebat.

Cum contra Dahlmannum satis videamur Ephori causam defendisse, restat ut res et a Xantho et ab Herodoto narratas inter se comparemus, unde perspicuum fore spero rationem quandam inter utrumque intercedere.

Primo Xanthi fragmento edocemur veteres Lydos, priusquam a Lydo Atyis filio nomen acceperint „Lydi" [1]), Meiones vocatos [2]) esse. Eadem leguntur apud Herodotum I, 7: reges Lydorum antiquissimi *ἀπόγονοι ἦσαν Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος, ἀπ᾽ ὅτευ ὁ δῆμος Λύδιος ἐκλήθη ὁ πᾶς οὗτος πρότερον Μηΐων καλεόμενος* . . . et VII, 74 *οἱ Λυδοὶ Μηΐονες ἐκαλεῦντο πάλαι, ἐπὶ δὲ Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην, μεταβαλόντες τὸ οὔνομα.* Neque ignorat, quod eodem fragmento Xanthi traditum est, Herodotus duos fuisse Atyis filios — Lydum et, quem pro Torrhebo nominat, Tyrrhenum, cuius nomen Tyrrhenorum originis ab eo deducendae causa eiusmodi mutilatum esse modo probare studuimus. Eodem loco I, 94 Atys dicitur Manis filius, de quo plura referuntur IV, 45, ubi postquam audivimus a plurimis Graecorum

---

1) *Ἄτυος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει Λυδὸν καὶ Τόῤῥηβον . . . . καὶ τοῖς ἔθνεσι ὧν ἦρξαν φησὶ τεθῆναι τὰς ὀνομασίας λέγων ὧδε: ἀπὸ Λυδοῦ μὲν γίνονται Λυδοί, ἀπὸ δὲ Τοῤῥήβου Τόῤῥηβοι.*

2) Id facile colligitur ex verbis Dion. Halic. *οὔτε ἀποικίαν Μηιόνων εἰς Ἰταλίαν κατασχοῦσαν ἐπίσταται*, cf. fr. 4, Strabo XIII p. 628.

Asiae continentis nomen ex Asia, Promethei uxore, derivari, haec inveniuntur: *καὶ τούτου μὲν μεταλαμβάνονται τοῦ οὐνόματος Λυδοὶ φάμενοι ἐπὶ Ἀσίεω τοῦ Κότυος τοῦ Μάνεω κεκλῆσθαι τὴν Ἀσίην, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ Προμηθέος Ἀσίης· ἀπ' ὅτευ καὶ τὴν ἐν Σάρδισι φυλὴν κεκλῆσθαι Ἀσιάδα.* Qui tandem fuerunt, quaeso, hi, qui tam docte de vetustissimis Graecorum rebus disputavere Lydi? Nemo certe credet[1]) Lydos sermonibus inter se egisse de Promethei uxore et contra Graecos Asiam gentem, quae Sardibus erat, advocasse. Quis autem eorum adeo curabat Graecorum fabulas ut litem iis intenderet de Asiae nomine utrum ab uxore Promethei an Cotyis perantiquo filio sit deducendum, nisi vir quem Graecis litteris perinde ac Lydorum rebus imbutum fuisse supra demonstravimus — Xanthus? Neque quidquam magis in eum cadit, qui de Phrygum, Mysorum, Lydorum, Torrheborum origine indagaverit, qui Mysos a myso arbore, quae iuxta Olympum copiosa nascebatur, denominatos esse dixerit, quam haec de Asiae nominis origine inquisitio doctissima. Accedit quod inter utrumque auctorem — Xanthum (fr. 5) et Herodotum (VII, 73) — constat Phryges ex Europa in

1) Pace eorum dixerim qui K. W. Nitzschii sententiam sequi malunt. Is enim eo procedendum esse putavit ut statueret Persarum *τοὺς λογίους* re vera de Ione, Europa, Medeia, Helena (I, 1—5) cum Graecis disceptasse, re vera Medos se a Medea appellatos esse narrasse, et sacerdotes Aegyptorum de Proteo rege II, 112, de Helena, Alexandro, Menelao II, 113—19, de omnibus Graecorum deis et fabulis accuratissime instructos fuisse (Rh. Mus. XXVII p. 226—68); quin etiam famosas septem Persarum de optima re publica disputationes (III, 80 sqq.), e quibus Graecorum philosophorum scholae redolere videntur, ab Herodoto vel ab eius auctore fictas esse noluit (de quibus cf. Duncker: Gesch. d. Alterthums Ed. IV, Tom. IV p. 459/60, Bauer: Entstehung des herodot. Geschichtswerkes p. 11, Baehr: Herodt. Ed. II, Vol. IV p. 437 sq., Stein ad h. l. III, 82, 25 etc.).

Asiam transmigrasse et sedes collocasse ad Olympum montem vicinas Mysis, accedit quod multa de Mysis a Lydis oriundis Xanthus tradit — decumatos a Lydis in Olympo monte expositos esse et ex iis prognatos esse Mysos (fr. 8) — quorum Herodotum notitiam habuisse inde apparet, quod ad Mysorum arma describenda IV, 74 addit *οὗτοι δὲ εἰσὶ Λυδῶν ἄποικοι, ἀπ' Ὀλύμπου ὄρεος δὲ καλέονται Ὀλυμπιηνοί.* Habitasse deinde dicit Mysos Xanthus: *περὶ τὰς τοῦ Καΐκου πηγὰς πλήσιον Λυδῶν* quocum bene conveniunt Herodoti verba VII, 42 *ἐποιέετο δὲ τὴν ὁδὸν ἐκ τῆς Λυδίης ὁ στρατὸς ἐπί τε τὸν ποταμὸν Κάϊκον καὶ γῆν τὴν Μυσίην.* Haud parvi sane momenti est hic consensus auctorum de originibus gentium, quae sub ditione Lydorum erant, neque casu accidisse videtur ut in capitibus IV, 73 et 74 eodem modo ab Herodoto prodatur, unde Lydi nomen ceperint, unde venerint Phryges, unde orti sint Mysi, quo id a Xantho narratum erat. Quamvis ob eam rem totam illam, quae capitibus 61—68 continetur, descriptionem exercitus Persici ex Xanthi Lydiacis petitam esse haud existimem, licet tamen conicere ea, quae de Armeniis et Phrygibus necessitudine inter se coniunctis cp. 74, de Bithyniis Strymonem quondam accolentibus cp. 75, unde a Teucris et Mysis *πρὸ τῶν Τρωικῶν* [1]) in Europam ingressis (VII, 20) depulsi sint, de Cabaliis a Meionibus ortis cp. 77 Herodotus refert et similia ex eodem fonte fluxisse. Neque minoris momenti esse arbitrer quod Melis regis, quem inter antiquos Lydiae reges Herodotus nominat I, 84, et Iardani, e cuius serva Heraclidarum stirps nata esse dicitur I, 7, apud Nicolaum mentio fit, in iis fragmentis, quae ex

1) Memineris Xanthi frg. 8 *ὁ μὲν γὰρ Ξάνθος ὁ Λυδὸς μετὰ τὰ Τρωικά φησι ἐλθεῖν τοὺς Φρύγας ἐκ τῆς Εὐρώπης κ. τ. λ.*

Xantho hausta esse supra probare conati sumus [1]). Itaque his etiam locis, quibus ut in prioribus vetustissima tempora et veterrimae Lydorum res tanguntur, Herodotus eundem auctorem sequi videtur.

Sed omittamus ceteros, qui ad Lydorum historiam pertinentes passim apud eum inveniuntur, locos, iam eius narrationes de rebus a Lydis gestis examinemus, ut intellegatur earum materiem utrum Lydius auctor an Graecus praebuerit, et si quae forte occurrant memoriae, quas propter argumentum et colorem auctori Lydio deberi censeamus, ut statuatur utrum veteri logographo tribuendae sint, an eas per colloquium a Lydo quovis Herodotus audivisse sit putandus.

Res Lydorum continentur primo Herodoti historiarum libro capitibus 1–94. In capitibus 1—5 explicat auctor quid sibi proposuerit; res a barbaris et a Graecis praeclare gestas, eorumque bella et quidquid de pugnae causis a Persis (cp. 1—4) et a Phoenicibus (cp. 5) referatur memoriae se prodere velle. In capite 6 initium narrandi ex Croeso Lydorum rege capit et fines Lydorum describit; deinde (cp. 7) postquam narrare coepit, quemadmodum Mermnadae imperium occupassent, originem Heraclidarum explicat. Hercules ex serva Iardani genuit Alcaeum, Alcaeus genuit Belum, Belus Ninum, Ninus Agronem, ad quem oraculo edito regnum Lydorum delatum est, quod usque ad id tempus reges a Lydo nati tenuerant. Lydus ortus erat ab Atye, Atys a Mane (I, 94), quos deos Phrygum fuisse scimus [2]). Herculem etiam, qui hoc loco nominatur, auctorem nobilitatis Heraclidarum non esse Graecorum heroem,

---

1) Iardanus fr. 22, Meles fr. 18, fr. 48 p. 31 apud Dind. Nec vero negabo esse posse ut his duobus locis non ad eundem Melem spectet Nicolaus.

2) Duncker l. l. I p. 388—90.

Iovis et Alcmenae filium, sed deum quem Lydi „Sandon“, Assyrii „Sandan“ vocabant, inter omnes constare video [1]). Ex Assyria quoque profecta sunt nomina „Belus“, quo Assyrii Sandanem appellare solebant, et „Ninus“, quem Nini urbis et regni conditorem habebant; Alcaei autem, Herculis filii, nomine ad Graecas fabulas reicimur, quia et Amphitryonis patri et ipsi Herculi prima pueritia hoc nomen impositum fuisse dicitur. Attamen dubitari non potest, quin huic vetustissimorum regum stemmati intestinae et domesticae fabulae Lydorum subsint; namque testes sunt Manes et Atys, Phrygum dei, testes Belus et Ninus, quos propterea seriei principum Lydiorum inditos esse verisimile est, quod Gyges et Ardys aliquamdiu Assyriorum imperio paruerunt, cuius rei notitia vetustate oppressa titulis nuper repertis ad nos pervenit [2]). Quae cum ita sint non verendum est ne temere egisse videamur si statuerimus: Sandon, non Hercules, in tabulis regum Lydiorum obtinuit primum locum [3]), quod iam per se unicuique patebit, et Herodotus cum de Assyrio Hercule se dicere nesciat [4]), auctorem secutus esse putandus est, qui anti-

1) Duncker l. l. I, 413, Baehr ad h. l., Stein ad h. l.

2) Duncker l. l. p. 400, Floigl: Cyrus und Herodot p. 127 sqq.

3) Johannes Lydus de mens. 3, 14 refert Sardes ab hoc numine solis nomen accepisse, cf. Duncker p. 411 Not. 5.

4) Graecum Herculem ab Aegyptio discernendum esse Herodotus II, 42—45 expressis verbis explicat et Tyrios Thasiosque Herculem quendam iam ante diem natalem filii Alcmenae divinis coluisse honoribus (II, 44) refert, nescius scilicet hunc Phoenicum deum eundem esse atque Herculem Lydorum (cf. Dunck. l. l. p. 270 sqq., p. 413); neque Scytharum deum, qui Hercules nominatur IV, 49, et Graecum heroem in unum confundit ut Graecum et Lydium Herculem. Quae res cum Iardani et Alcaei nominibus demonstratur tum eo apparet quod Herculis aetatem, quem nongentis annis ante ipsum vixisse censet, Herodotus ex

quissimas Lydorum res Graeco lectori more Graeco reddere studuit. Sed id ipsum aliis etiam confirmari potest argumentis! Nolo magnam vim tribuere verbis Herodoti I, 7: *Κανδαύλης τὸν οἱ Ἕλληνες Μύρσιλον ὀνομάζουσι*, quibus Steinius Graecos scriptores poetasve notari vult, multo maioris mihi videtur momenti esse quod Herodotus in affinitate, qua Hercules et Belus coniuncti fuisse dicuntur, tradenda adeo non sibi constitit, ut Perseum, Herculis proavum, Andromedam Beli neptem in matrimonium duxisse traderet VII, 61. Narratur ibi Perseus ad Artaeos venisse, quos Graeci antiquitus vocassent Cephenos; eis tum praefuisse Cepheum, Beli filium, cuius filia Andromeda, quacum Perseus congressus esset, Persem filium edidisset, et ab eo Persarum gentem cepisse nomen. Haec de Persarum origine fabula cum ab Aeschylo relata [1]), a Pythia oraculis inclusa [2]), ab Hellanico [3]) fusius explicata esset, iam He-

tabulis Lydorum eruisse videtur, hac temporum computatione innisus: centum annis, tribus hominum generibus, post Herculem Heraclidae occupaverunt regnum Lydorum, quod per quingentos et quinque annos tenebant; eos secuti sunt Mermnadae, qui per centum et septuaginta annos regnavere; itaque cum Sardes a Cyro captas esse circa annum 550 a. Chr. plurimi recentiorum sentiant (Unger: Cyaxares u. Astyages, in: Abhandlungen der baier. Akademie T. XIV p. 237—319, 1882, p. 242, annum 546/45, Floigl: Cyrus u. Herodot p. 121, annum 548/47, Duncker annum 549, praeferendum esse existimaverunt) ex temporum ratione circa annum 450 a. Chr. Herculem ante 900 annos vixisse reputare debebat Herodotus.

1) Aeschylus (Persae v. 79) ipsum Xerxem a Perseo ortum esse tradit, quocum bene convenit Herodoti locus I, 125: *Πασαργάδαι εἰσὶ ἄριστοι, ἐν τοῖσι καὶ Ἀχαιμενίδαι εἰσὶ φρήτρη ἔνθεν οἱ βασιλέες οἱ Περσεῖδαι γεγόνασι.*

2) Herodotus VII, 220: *ταῦτα δέ σφιν ἐν ἔπεσι ἑξαμέτροισι χρᾷ (ἡ Πυθίη)*
ὑμῖν δ', ὦ Σπάρτης οἰκήτορες εὐρυχόροιο
ἢ μέγα ἄστυ ἐρικυδὲς ὑπ' ἀνδράσι Περσεΐδῃσι — πέρθεται.

3) Hellanic. fr. 159, 160; cf. Herodoti loc. VII, 61.

rodoti temporibus apud Graecos libris et versibus divolgata fuisse videtur, unde apparet alteram de Hercule Beli avo memoriam non e Graeco fonte fluxisse, etenim parum verisimile est, Graecos de heroum aetatibus adeo inter se dissensisse, ut sex generibus hominum inter utrumque interiectis Herculem alii proavum, alii subolem Persei facerent, cuius rei vestigia nullo loco exstant. Apparet igitur Herodotum in Heraclidarum et Persarum originibus tradendis adeo auctorum fidem servasse, ut ad ea, quae ipse alio loco tradiderat, non respiceret et temporum rationem, quam rerum ratio desiderare videbatur, nihil curaret. Quam scribendi normam ne dubites quin Herodotus in componendis historiis sequi solitus sit, nonnullis probaturus sum exemplis, quae propter locorum propinquitatem ex Herculis et Persarum regum rebus petere liceat.

In capite 44 libri secundi narrat Herodotus a Phoenicibus, Europae quaerendae causa e patria evectis, Herculis fanum in Thaso insula conditum esse quinque generibus antequam in Graecia Hercules Alcmenae filius vixisset; eiusdem libri in capite 145 legimus a Dionysio Semele nato, Cadmi filia, usque ad aetatem Herodoti mille et sescentos praeteriisse annos, ab Hercule vero Alcmenae filio, nongentos; hoc igitur loco inter Cadmum et Herculem 630, illo 150 annos interiecit.

Alterum exemplum adiungam. Perseum, Danaae filium, primum principem Persarum fuisse, a quo ipsorum nomen deducendum esset, Persae ipsi Herodoto concedere noluerunt [1]), quamobrem, cum in rebus Persarum

1) *Ὡς δὲ ὁ παρὰ Περσέων λόγος λέγεται αὐτὸς ὁ Πέρσευς ἐὼν Ἀσσύριος ἐγένετο Ἕλλην, ἀλλ' οὐκ οἱ Περσέος πρόγονοι· τοὺς δὲ Ἀκρισίου γε πατέρας ὁμολογέοντας κατ' οἰκηιότητα Περσέι οὐδέν, τούτους δὲ εἶναι, κατά περ οἱ Ἕλληνες λέγουσι, Αἰγυπτίους.* VI, 54. Patet his Persarum

explicandis Cyri aut Xerxis genus proditur, reges non a Perseo, sed ab Achaemene orti esse dicuntur. Atque ne ita quidem de Cyri avo secum consentit Herodotus; namque cum VII, 11 Cyri patrem Cambysem, Teispis filium, fuisse traderet, oblitus est se ipsum narrasse I, 111 Cyrum a Cambyse Cyri filio esse natum, quae res sanari nullo modo potest; namque etiam in titulis nuper repertis, altero Cyri, altero Darei, utrumque nomen invenitur Cyri avo impositum, ex quo facile perspicias, quanta in historiarum confectione nescio utrum fide an neglegentia fuerit Herodotus et quam accurate, quem habebat auctorem in rebus narrandis secutus esse sit putandus.

Tertium, quod nunc apponatur, exemplum ad res Lydorum nos reicit. Iam alii mirati sunt, quod Herodotus I, 7 referret, Heraclidas regnasse per viginti duo hominum genera, quingentos quinque annos, quod prorsus obloquitur loco notissimo libri secundi (cp. 142) *τριηκόσια μὲν ἀνδρῶν γενεαὶ δυνέαται μύρια ἔτεα. γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστιν*; ex qua temporum ratione Heraclidas septingentos triginta tres annos imperium tenuisse Herodotus reputare debebat. Rem sic expedire Steinius conatus est ut statueret Herodotum errasse, cum filium semper patri in regno successisse traderet, testem advocans Nicolaum Damascenum, qui fratres Atym et Cadym Heraclidas reges Lydorum fuisse doceret. Utut est [1]), apparet Herodotum hoc loco alia, ac uti solebat, temporum ratione esse usum, non

---

verbis non Perseum, heroem Graecum, sed deum quendam Assyriorum tangi, quod iam ipse Herodotus cognovit; cf. etiam Steinii not. ad. loc.

1) Obstat, quominus Steinio assentiamur, quod Nicolaus fratres non alterum post alterum, sed eodem tempore utrumque regnasse refert (fr. 48).

enim scripsisset II, 142 *γενεὰ ἀνδρῶν τρεῖς ἑκατὸν ἔτεά ἐστιν* et I, 7 *Ἡρακλεῖδαι . . . . ἄρξαντες μὲν ἐπὶ δύοτε καὶ εἴκοσι γενεὰς ἀνδρῶν ἔτεα πέντε καὶ πεντακόσια*, nisi rerum memoriam, quemadmodum eam acceperat servare cupiens, consensum locorum neglexisset. Neque hoc uno tantum loco Herodotus oblitus est, se ipsum calculum posuisse tria hominum genera unius saeculi finibus terminari, etenim IV, 163 a Pythia pronuntiatur Battiadis haec: *ἐπὶ μὲν τέσσερας Βάττους καὶ Ἀρκεσίλεως τέσσερας ὀκτὼ ἀνδρῶν γενεὰς διδοῖ ὑμῖν Λοξίης βασιλεύειν Κυρήνης*, quibus efficitur ut, cum Arcesilaum quartum, cuius laudes Pindarus cecinit (Pyth. IV et V), anno 464 a. Chr. regnasse constet, Cyrene circa annum 730 a. Chr. condita esse credatur. Attamen cum ne Herodoti quidem dies supremus, quem circa annum 428 obiise visus est pluribus recentiorum, ab anno, quo colonia Theraeorum in Libyam ducta esse vulgo dicebatur [1]), octo genera hominum — ducentos sexaginta septem annos — abesset, etiam hoc loco vocabulo „*γενεή*“ non propriam illam vim subesse, quam Herodotus ei II, 142 tribuit, manifestum est. Comparanda autem sunt verba capitis 98 libri secundi: *ἐπὶ γὰρ Δαρεῖον τοῦ Ὑστάσπεος καὶ Ξέρξεω τοῦ Δαρείου καὶ Ἀρταξέρξεω τοῦ Ξέρξεω, τριῶν τούτων ἐπεξῆς γενεέων, ἐγένετο κ. τ. λ.*; etenim cum Darium anno 521 a. Chr. occupasse regnum, Artaxerxem anno 424 aut 425 mortuum esse nemo nesciat, hoc etiam tertio loco Herodotum sententiae suae triginta tres annos unius „*γενεῆς*“ ambitu comprehendi non meminisse cernimus. Cum igitur uno verbo „*γενεή*“ duas res significari apertum sit — tertiam partem saeculi unius et annorum, per quos rex quis-

1) Intra annum 630 et 640; quorum annorum terminus etsi non ab omnibus viris doctis perinde pro recto habetur, procul a veritate non distet.

que regnaverat, summam — ratio nobis quaerenda est, quam Herodotus sequi solebat, cum isto uteretur verbo. Neque difficile est eam invenire, cum adeo res eluceat ex locis modo appositis, ut longam orationem non desideret. Sic igitur statuo: apud Herodotum cum ad temporum seriem respicit, vocabulo γενεή aetas hominis, de quo verba facit, comprehenditur et tria hominum genera unum saeculum amplecti putantur, in regum autem temporibus reddendis γενεή vocabulum valet numerum annorum, per quos rex quisque imperium tenebat, modo contingat ut annus quo quisque regnare coeperit, quo desierit, accurate sciatur. Quam rem ita esse si mihi concesseris, fieri non poterit quin concedas petitam esse annorum, per quos Heraclidae Lydis praefuisse tradebantur, summam ex regum Lydiorum stemmate, in quo aetates regum, mutationes principum, gentis initia aliaque similia relata erant, quorum nonnulla eis locis servata esse videntur, quibus de Mele, antiquissimo rege, Sardium urbis conditore, de Lydorum et Heraclidarum originibus narratur; praesertim cum suscipari nequeamus tam copiosas, ex quibus memorias illas haustas esse verisimillimum est, narrationes de vetustissimis Lydiae temporibus iam tum apud Graecos esse circumlatas. — Hac in re tractanda propterea tamdiu versati sumus, quia huc referendum est, quod supra demonstravimus Xanthum Lydium habuisse tabulas regum Lydorum, quibus anni principum et res a Lydis praeclare gestae proderentur; ad haec si addideris quod de consensu auctorum supra exposuimus, nonne videbitur tibi probabile esse, e Xanthi libris numerum annorum, per quos Heraclidas Lydis imperasse scriberet, Herodotum sibi sumsisse?

Iam vero venimus ad utriusque scriptoris narrationes de primo Mermnadae stirpis Lydorum rege, qui Heraclidis regnum ademit, — de Gyge conferendas, ad

quem pertinent, quae Herodotus in capitibus 7—13 libri primi tradit, Nicolaus in altera parte fragmenti 48 (ap. Dind. p. 32—36) narrat, ubi haec fere leguntur: Dascylus, qui propter veteres Heraclidarum iniurias gentis Mermnadae Myrso regnante ex Lydia fugerat, a Sadyatte, Myrsi filio, Lydorum rege revocatus in patriam ipse redire non ausus est, filium vero Gygem, duodeviginti annorum adulescentem misit, qui inter aequales pulchritudine et virtute adeo excellebat, ut a rege inter satellites receptus mox primum inter omnes locum teneret. Itaque iussus est Arnossi, Mysorum regis, filiam quam in matrimonium ducturus erat Sadyattes, a patre acceptam Sardes transducere. Sed amore puellae captus temperare sibi non potuit, quin uxorem regis sui futuram tentaret adeoque violaret ut prima, postquam Sardes ventum erat, nocte totam rem Sadyatti illa referret, quapropter is ira incensus Gygi mortem minitabatur. Qui vero cum omnia eadem nocte audivisset cognovissetque se moriturum esse nisi regis consilia praeoccuparet, convocatis amicis, principis domum ingressus dormientem Sadyattem gladio percussit. Altero die contione habita Lydi fas esse censebant Apollinem Delphicum interrogare — timebant enim milites Gygis et turbam armatam amicorum — num Gygem sibi regem statuere deberent. Responsum est ab Apolline poenam necis subiturum esse quintum regem gentis Mermnadae.

Herodotus loco laudato memoriae prodit haec: Candaules, Myrsi filius, quem Graeci Myrsilum vocant, Lydorum rex pulcherrimam omnium feminam sibi esse ratus, Gygem satellitem amicissimum in cubiculum, in quo cum illa dormire solebat, clam induxit, ut uxoris nudae pulchritudinem cerneret. Quem femina, cum exeuntem aspexisset, invitum coëgit, ut regem necaret et ipsam in matrimonium duceret. Habebat vero inde et feminam et regnum Gyges ex oraculo Apollinis Delphici,

pronuntiantis quintum regem a Gyge natum poenas necis soluturum esse.

Primo quasi aspectu unusquisque videbit narrationes utriusque scriptoris admodum inter se discrepare neque dubitabit statuere, res ab Herodoto traditas fabulae propiores esse quam historiae, cuius contra fidem Nicolaus optime servasse putandus est sive, cuius libros ille transscripsit, — Xanthus. Accedit quod alius Gyges a Platone narratur pastor fuisse, qui magica vi anguli, quem invenerat, callide usus reginae amorem sibi pararet, regem necaret, regnum occuparet, cui veteri fabulae multa, quae apud Herodotum leguntur, deberi Steinius iam cognovit. Hanc igitur de fabuloso Gyge, Mermnadae stirpis rege[1]), aut similem narratiunculam cum audivisset, Herodotus ad verum Gygem, Dascyli filium, Lydorum regem, qui Heraclidis regnum eripuit, transtulisse videtur, unde efficitur, ut nobis probandum sit duorum auctorum de ea re memorias eum hoc loco miscuisse.

Herodotus cum speciem fabulae fictae, quam de exitio Candaulis narratio sua praeberet, lenire et subducere cuperet, operam dedit ut in loco veri Gygis Dascyli filii, fabulosum in Lydorum historia collocaret, multaque, quae ad alterum Gygem pertinere sciebat suo Gygi tribuit, ne illi nimis dissimilis esset. Quamobrem ne in tanta quidem narrationum discrepantia desunt res ab Herodoto et a Xantho eodem modo relatae. Etenim patri principis a Gyge interfecti ab utroque auctore inditur nomen Myrso, ab utroque pulchritudo et virtus Gygis laudatur, uterque Gygem inter satellites[2]) regis

---

1) Auctor gentis Mermnadae fuit fabulosus ille Gyges, qua de re cf. Steinii not. ad Herodot. I, 128 sqq.

2) Quod ultimus Lydorum rex gentis Heraclidarum, cui apud Nicolaum nomen est Sadyatti, ab Herodoto nomi-

fuisse narrat. Accedit quod aliud quoque gravissimum sane testimonium hisce inest Herodoti verbis I, 13: *συνέβησαν ἐς τὠυτὸ οἵ τε τοῦ Γύγεω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοὶ κ. τ. λ.*, ex quibus perspicitur Herodotum duas de hac re narrationes confudisse. Etenim si quis etiam iniustae neci a Gyge Candauli oblatae tumultum aut seditionem nomen imponat — qui fieri potuit, quaeso, ut fideles reginae ministri, qui Gygem invitum coëgerunt regem interficere' *οἱ Γύγεω στασιῶται* i. e. coniurata Gygis turba ab Herodoto appellarentur? Numquam mehercle eos ita appellaturus erat, nisi alterius narrationis ei in mentem venisset, qua Gyges regnum vi et seditione occupasse tradebatur. Postremo si etiamnunc quid scrupuli resideat, haec utriusque scriptoris verba inter se comparare velis, magna enim quae inter eos intercedit similitudo documento est alterum alterius opere esse usum.

Nicolaus fr. 48 p. 34/35.	Herodotus I cp. 12/13.
ἐπιβατεύων τῆς ἀρχῆς πασσυδεὶ ἐξοπλίζεται (ὁ Γύγης) καὶ ἐξέρχεται εἰς τὴν ἀγορὰν	*ἔσχε καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὴν βασιλητὴν ὁ Γύγης (τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ*

---

natur: *Κανδαύλης τὸν οἱ Ἕλληνες Μύρσιλον ὀνομάζουσι*, eius rei causam inde sumas, quod fabula, quam Herodotus reddebat, Candaulem regem a Gyge interfectum esse tradebat. Herodotus vero, cum apud Xanthum legisset, regem a Gyge necatum Myrsi filium fuisse, quem Graeci ob eam rem Myrsilum vocassent, idem rettulisse mihi videtur, ut suum Gygem quam maxime ad similitudinem veri Gygis adduceret. Nam quod Steinius et Cobetus (Mnemosyne XI p. 71) verbo *Ἕλληνες* ad alios Graecos sive scriptores sive poëtas respici coniecerunt, id propterea minus probabile videtur, quod in nullius Graeci nec logographi nec vatis fragmentis neque in ceteris, in quibus vestigia veteris de Gyge fabulae apparent, narrationibus Myrsili exstat nomen. Plato enim, Herodoti simillimus, regem illum fabulosum nomine omnino non appellat, Plutarchus ea in re Herodotum secutus nomen ei indit Candauli (Moralia 302).

Nicolaus fr. 48 p. 34/35.

καὶ συγκαλεῖ Λυδοὺς εἰς ἐκκλησίαν. οἱ δὲ πρῶτον μὲν ἐταράχθησαν, δυςανασχετοῦντες τὸ ἔργον, καὶ ἐπὶ Γύγην ὡρμῶντο· πραΰνοντος δ' αὐτοὺς ἐκείνου καὶ λόγον αἰτουμένου, ὡς ἂν διδάξῃ τὸ πλῆθος περὶ ὧν ἠγνόει, μόλις τοῦ θορύβου ἔληξαν, τὰ μὲν ἀκοῦσαί τι σαφὲς ἐπιποθοῦντες, τὰ δὲ καὶ φοβούμενοι τοὺς ὁπλίτας καὶ ἐσιώπησαν. καὶ ἔπεμψαν εἰς Δελφοὺς πευσόμενοι εἰ Γύγην στήσαιντο ἑαυτῶν βασιλέα. θεὸς δ' ἐκέλευσε τοσόνδε προειπὼν ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις εἰς πέμπτην γενεὰν ἥξοι τίσις παρὰ τῶν Μερμναδῶν.

Herodotus I cp. 12/13.

τὸν αὐτὸν χρόνον γενόμενος ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ ἐπεμνήσθη) cp. 13 ἔσχε δὲ τὴν βασιληΐην καὶ ἐκρατύνθη ἐκ τοῦ ἐν Δελφοῖσι χρηστηρίου. ὡς γὰρ δὴ οἱ Λυδοὶ δεινὸν ἐποιεῦντο τοῦ Κανδαύλεω πάθος καὶ ἐν ὅπλοισι ἦσαν συνέβησαν ἐς τὠυτὸ οἵ τε τοῦ Γύγεω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοί, ἢν μὲν τὸ χρηστήριον ἀνέλῃ μιν βασιλέα εἶναι Λυδῶν, τὸν δὲ βασιλεύειν, ἢν δὲ μή, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν. ἀνεῖλέ τε δὴ τὸ χρηστήριον καὶ ἐβασίλευσε οὕτω Γύγης· τοσόνδε μέντοι εἶπεν ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.

Utriusque scriptoris verba si paulo diligentius inter se composueris nihil ab Herodoto traditum reperies, cuius accuratior memoria non redeat apud Nicolaum, nonnulla vero ab hoc narrata quae apud illum non inveniuntur. Itaque cum in re propemodum non differant, quae apud utrumque leguntur auctorem, nequit dubitari, quin res ab Herodoto narratae inde petitae sint, unde Nicolaum sua sumpsisse constat, et quin praecipuus eius fons hoc loco Xanthi fuerint Lydiaca. Quam ad sententiam comprobandam permultum confert oraculum a Nicolao accuratius quam ab Herodoto servatum. Recte enim Steinius [1]) verbis Ni-

---

1) Not. ad cp. 13. 10.

colai hunc Pythiae versum tamquam inesse statuit: πέμπτην εἰς γενεὴν ἵξει τίσις Ἡρακλείδαις; manifestum sane est Herodotum illud e versibus in pedestrem orationem transtulisse neque Nicolaum e pedestri oratione ad similitudinem versus id adegisse. — Herodotus igitur, postquam fabellae suae finem fecit his verbis ἔσχε καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὴν βασιληΐην Γύγης et fidei quasi augendae causa Archilochum testem advocavit, ad historiam revertisse mihi videtur caput 14 ita exorsus: ἔσχε δὲ τὴν βασιληΐην καὶ ἐκρατύνθη, quod verborum geminatione admodum singulari valde firmatur. Neque difficile est causam patefacere, qua commotus ad alterum fontem transierit, namque ex oraculo illo Apollinis tota, quam relaturus erat, Lydorum et Croesi historia pendebat. Attamen ea cum narratione Herodoti de Gyge apte coniungi non potest; etenim si vere Gygi aut ipsum mori aut regem suum interficere necesse erat, cuius tandem rei poenas solvere debebat quintus rex stirpis Mermnadae? Et ipse Herodotus, cum in fabula sua narranda studiose operam daret ut Gygem omni culpa liberaret, Candaulis stultitiam, consilia perniciosissima feminae, Gygis constantiam et mortis periculum, quod subiturus erat, si necem non perficeret, disertis verbis exponeret, causam Gygis adeo adiuvit, ut non facinus commisisse, sed inevitabili fato paruisse videretur. Itaque quae tandem causa erat, quaeso, cur eius rei poenas redderet quintus a Gyge Mermnadae gentis progenies? Quid plura? Non ad fabulosum quem Herodotus, sed ad verum, quem Xanthus memoriae prodidit, Gygem pertinet oraculum illud I, 13 et responsum Apollinis I, 91. Quamobrem cavendum erat Herodoto ne lectores sentirent graviore quodam scelere obstrictum fuisse Gygem, quod eo artificio assequi studuit ut inter dei verba I, 91 τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ. Κροῖσος δὲ πέμπτου γονέος ἁμαρ-

τάδα ἐξέπλησε, ὃς ἐὼν δορυφόρος Ἡρακλειδέων (δόλῳ γυναικηίῳ ἐπισπόμενος) ἐφόνευσε τὸν δεσπότεα καὶ ἔσχε τὴν ἐκείνου τιμὴν οὐδέν οἱ προςήκουσαν, tria illa vocabula, quae uncis inclusimus interponeret, ne ab ipso Apolline tota res detegeretur.

Sequitur in capite 14 de donis a Gyge Delphos missis explicatio accuratissima, quam e Xanthi Lydiacis desumptam esse, ob eam rem statuere non possumus, quod Herodotum ipsum Delphis fuisse, ubi haec omnia ei comperire licebat, inter omnes constat. Neque tamen est cur negemus ex parte quidem ea Xantho deberi praesertim cum eius verba redintegrare videatur Herodotus initio capitis 15 (Stein) dicens: ἐσέβαλε μὲν νῦν στρατιὴν καὶ οὗτος ἔπειτε ἦρξεν ἔς τε Μίλητον καὶ ἐς Σμύρνην κ. τ. λ. Etenim cum primus sit omnium de quibus Herodotus uberius refert, regum Lydiorum Gyges neque Candaules aut alius Heraclidarum rex ab Herodoto bellum intulisse Ionibus tradatur, neque illud καὶ οὗτος ad Croesum referri possit, de quo capite sexto legimus οὗτος ὁ Κροῖσος βαρβάρων πρῶτος τῶν ἡμεῖς ἴδμεν τοὺς μὲν κατεστρέψατο Ἑλλήνων, τοὺς δὲ φίλους προςεποιήσατο, facere non possumus, quin statuamus Herodotum alterius scriptoris verba, qui in libris suis priorum bellorum ab Heraclidis Ionibus illatorum mentionem fecerat, neglegentius transscripsisse.

Deinde in capitibus 15, 16, 25 res a Gyge, Ardye, Sadyatte, Alyatte gestas annalium in morem summaque in distribuendis cuique bellis accuratione, addito annorum, quot quisque regnaverat, numero refert Herodotus, quas quin e Xanthi Lydiacis exscripserit dubitari nequit. Totius enim relationis argumento et colore satis demonstratur non ex communi fama et sermone hominum, sed ex annalium memoria et litteris effluxisse, quae in tribus illis capitibus traduntur. Eius rei testimonia sunt numeri annorum, qui

communi fama per ducentos annos servari nullo modo potuerunt, testimonia excerpta illa brevissima de Ardye, Sadyatte, Alyatte, quae dum verbis parcunt, mira sunt in rebus, temporibus, nominibus reddendis diligentia. Accedit quod Herodotum hoc loco id maxime egisse apparet, ut redderet quae ad Graecos aut Iones pertinerent, Lydorum vero res memoratu tamquam parum dignas praetermitteret. Namque Cimmeriorum incursum et Astyagis contra Medos bellum hoc loco tribus, ut ita dicam, verbis commemorasse satis habet, quamquam IV, 11—13 de Cimmeriorum origine et sedibus, I, 74, 103 de Medorum et Lydorum pugna fusius explicat. Quin etiam de Gyge Lydorum rege plura se scire, quam prodere ipse profiteri videtur, dicens *ἀλλ', οὐδὲν γὰρ μέγα ἀπ' αὐτοῦ ἄλλο ἔργον ἐγένετο βασιλεύσαντος δυῶν δέοντα τεσσαράκοντα ἔτη, τοῦτον μὲν παρήσομεν τοσαῦτα ἐπιμνησθέντες*, quibus Xanthum perstringi is facile coniectabit, qui narratiunculae meminerit, qua ille a Gyge Lixum inimicissimum in amicitiam receptum esse copiose narraverat. (Nic. Dam. fr. 48, Dind. p. 35/36). Ceteris vero de rebus ab Ardye, Alyatte, Sadyatte gestis, quarum apud Herodotum mentio fit, quid Xanthus tradiderit, propter inopiam reliquiarum cognosci nequit; namque duobus, quibus de Alyatte et Sadyatte nonnulla produntur, fragmentis Nicolai Damasceni 61, 62 regum ingenium domesticaeque Lydorum res describuntur, neque de bellis eorum quidquam refertur, nisi bellatum esse a Sadyatte cum Smyrnaeis eorumque urbem esse captam, cuius rei memoria redit apud Herodotum I, 16[1]). Sic igitur sentio: Herodotus ex copiosis Xanthi narrationibus de prioribus Mermnadae stirpis regibus me-

---

1) Nic. Dam. fr. 62 *ἐπολέμησε δὲ Σμυρναίοις καὶ εἷλεν αὐτῶν τὸ ἄστυ*; Herodot. l. l. *Σμύρνην τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἷλεν.*

moriae tamquam retinendae causa elegit [1]), quae ad Graecorum res pertinerent, eaque ne abunde relata iterum referre videretur more annalium composita tribus in illis capitibus libri primi 15, 16, 25 enumeravit.

Inclusae sunt inter capita 16 et 25 narrationes duae admodum verbosae, quarum alteram de Arione Methymnaeo (cp. 23/24) cum ad propositum nostrum peragendum nihil valeat, missam faciamus licet, alteram vero de Alyattis contra Milesios bello expositionem eo diligentius examinemus oportet, quo magis splendida oratio et copiosa, qua hoc loco utitur Herodotus, recedat a brevitate dicendi, qua est in Ardyis, Alyattis, Sadyattis rebus narrandis. Eam ex Graecorum memoriis effluxisse haud levibus sane argumentis innixus O. Nitzschius coniecit [2]), neque fieri potest, quin ei concedamus, multa in ista belli descriptione Graecis auctoribus deberi, cum ipse Herodotus nonnulla se a Delphis et a Milesiis audivisse in capite 22 profiteatur; quamvis haec maxime ad oraculum, quod de Alyattis morbo edidisse Apollo, et ad litteras, quas Thrasybulus, Mileti tyran-

1) Nihil refert, mea quidem sententia, quod apud Nicol. in fr. 61 legimus: *Σαδυάττης ὁ Λυδῶν βασιλεὺς, Ἀλυάττεω παῖς* et apud Herodotum I, 16 *Σαδυάττης ὁ Ἄρδυος*; equidem non dubito statuere errore librarii factum esse ut pro nomine Ardyis, patris Sadyattis, nomen Alyattis, filii Sadyattis, scriberetur. Quamobrem miror Floiglum (Cyrus u. Herodot p. 134) qui parum accurate Nicolaum inspexisse videtur, cum ab eo sex reges stirpis Mermnadae nominari diceret: Gygem, Ardym, Alyattem, Sadyattem, Alyattem, Croesum, nescius scilicet Ardyis, Gygis filii, nullo loco in Nicolai fragmentis mentionem fieri. Itaque si negare voluit neglegentia librarii commissum esse, ut pro Ardye Alyattis nomen traderetur, hunc tamen regum Lydiorum ordinem a Nicolao servatum esse agnoscere debebat: Gyges, Alyattes, Sadyattes, Alyattes, Croesus.

2) Abhandlungen über Herodot. Bielefeld 1873. Programm.

nus, a Periandro accepisse dicitur, pertinere videantur, tamen in ceteris etiam, de quibus agitur, capitibus tam aperta exstant Graeci ingenii vestigia [1]), ut eis etiam quae continentur, Herodotum a Graecis comperisse statuere cogamur. Neque vero omnia. Namque alterius relationis, quam his autem in rebus tradendis sequi noluit, non expertem fuisse Herodotum ipsa eius verba testificantur; qui enim postquam reddidit Alyattem legatos misisse ad Apollinem Delphicum de morbo suo interrogaturos, cum pergat his (cp. 19) *εἴτε δὴ συμβουλεύσαντός τευ εἴτε καὶ αὐτῷ ἔδοξε πέμψαντα τὸν θεὸν ἐπείρεσθαι περὶ τῆς νούσου* ipse profiteri videtur se utrumque, quod hoc loco in suspenso relinquitur, de ea re audivisse, certi vero aliquid statuere non esse ausum. Accedit, quo facilius res percipi cognoscique possit, quod cernimus scivisse Herodotum non ab omnibus scriptoribus perinde atque ab ipso narrari dolo Thrasybuli effectum esse, ut Alyattes bellum deponeret; scribere enim non debebat, quod recte Nitzschius l. l. monuit, in capite 22: *ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι δι' οὐδὲν ἄλλο ἐγένετο ἡ διαλλαγή* nisi auctoris ei in mentem venerat, qui aliam tradiderat pacis causam. Ad haec adde quod cp. 18 in Milesiorum de bello ab Alyatte gesto narrationem quaedam, quae sine lectoris molestia initio totius descriptionis omittere non licuit, eiusmodi indita sunt ut et contextus dicendi prorsus dirimatur et nonnulla,

---

1) Alyattis belli gerendi rationem et callidum Thrasybuli consilium Milesius tamquam, qui istis rebus ipse interfuit, explicare videtur apud Herodotum; legimus enim cp. 17 *τὰς δὲ οἰκίας οὐ κατέβαλε ὁ Λ υ δ ὸ ς τῶνδε εἵνεκα*, et cp. 22 *ὡς γὰρ δὴ ἰδών τε ἐκεῖνα ὁ κῆρυξ καὶ εἴπας πρὸς Θρασύβουλον τ ο ῦ Λ υ δ ο ῦ τὰς ἐντολὰς ἀπῆλθε ἐς τὰς Σάρδις κ. τ. λ.*, cui opinioni valde congruit, quod gravissimae Milesiorum clades obiter modo et leviter tanguntur.

quae modo relata erant, dissolvantur[1]), quod propterea etiam mirabilius debet videri, quia post belli rationem, qua Alyattes rem per undecim annos gerebat, et post rerum gestarum ordinem copiose explicatum edocemur istorum undecim annorum Sadyattem per sex, Alyattem per quinque annos Milesios armis persecutos esse. Quibus perpensis in eam sententiam adductus sum, ut pro explorato habeam Herodotum hoc loco Xanthi de isto bello narrationem sequi noluisse neque tamen eius auctoritatem adeo neglexisse, ut temporum rationem, quam a Milesiis neglegentius servatam esse postea intellegeret, ex eius Lydiacis peteret et nonnumquam ad eum tamquam non sponte respiceret.

In capitibus quae sequuntur 26—28 cum breviter commemoratur Croesum Iones et Aeoles omnesque, quae citra Halym fluvium in Asia minore habitarent, gentes praeter Cilices et Lycios sub imperium Lydorum redegisse, tum copiosius narratur facetiis Graeci cuiusdam sapientis Croesum commotum esse, ne bellum inferret Graecis insulas incolentibus. Quamobrem cum duas de eis rebus narrationes Herodotum coniunxisse et per se verisimile sit et inde sumatur, quod tradit ab aliis Graecum illum sapientissimum Biantem Prienensem, ab aliis Pittacum Mytilenensem esse vocatum, existimem quae in his capitibus (26—28) de Croeso memoriae prodit, partim e Xanthi libris partim e Ionum narrationibus eum collegisse.

---

1) Cf. Steinii not. ad loc. Verba Herodoti sunt haec: *τὰ μὲν νῦν ἓξ ἔτεα τῶν ἕνδεκα Σαδυάττης ὁ Ἄρδυος ἔτι Λυδῶν ἦρχε, ὁ καὶ ἐςβάλλων τηνικαῦτα ἐς τὴν Μιλησίην τὴν στρατιήν· Σαδυάττης γὰρ καὶ ὁ τὸν πόλεμον ἦν συνάψας· τὰ δὲ πέντε τῶν ἐτέων τὰ ἑπόμενα τοῖσι ἓξ Ἀλυάττης ὁ Σαδυάττεω ἐπολέμεε, ὃς παραδεξάμενος, ὡς καὶ πρότερόν μοι δεδήλωται, παρὰ τοῦ πατρὸς τὸν πόλεμον προςεῖχε ἐντεταμένως.*

Croesi et Solonis sermones, qui in capitibus 29—33 referuntur, cum Steinio ex carminibus vicissitudines fortunae variosque hominum casus more Graeco canentibus effluxisse putem; neque enim dubium est quin isti sermones magis in Herodoti ipsius tempora, quibus in philosophorum scholis tales res eiusmodi tractabantur, quam in Solonis aetatem cadant, qui circa annum 560 [1]) a. Chr. cum Croeso convenisse putandus est, nec negari potest esse quasdam eorum partes, quae ad philosophiam magis quam ad Lydorum historiam pertineant, quibus in reddendis Herodotus paene oblitus esse videtur Croesi sortem narrare sibi esse propositum. — Quacum arctioribus vinculis continetur narratio de Adrasto Phryge (ap. Herodotum I, 34—45), quam Lydorum carminibus Steinius deberi statuit; tam aperta enim Lydiae originis vestigia ei inesse, ut Graeco auctori tribui nequeat. Concedendum sane est viris doctissimis Prellero (Myth. I, 2. 508) et Dunckero (IV, 315) subesse Adrasto illi, qui postquam fratrem necavit, patriae exsul a Croeso in hospitium receptus eius filio invitus perniciem tulit, subesse huic Phrygum heroem Adrastum, qui Adrasteae deae, quam Nemesin Graeci vocabant, primum templum condidit et ad eius cultum Phryges advocavit, — concedendum est in Atye Croesi filio, cui iuventute, pulchritudine, omnibus virtutibus florenti casu infesto opprimi fatum erat, renatum esse tamquam Atyem alterum, Lydorum deum, Manis filium — tamen tenendum sit fabulae huic intestinae et domesticae Lydorum, quae nescio an propter nominum similitudinem ab Atye deo ad Atyem Croesi filium translata sit, quasi fundamento a Graeco auctore quovis superstructam esse illam narrationem ratione et auxiliis

1) Qua de re cf. Duncker l. l. II 453/54, Niese: zur Gesch. Solons u. seiner Zeit p. 9. (Histor. Untersuchungen z. Jubiläum Arnold Schaefers. Bonn 1882).

summae humanitatis et artis perpolitam et perfectam. Etenim nec a Lydo scriptore nec ab Herodoto ipso eam eiusmodi exornatam esse et inde apparet, quod a Croeso, cum filii mortem audivisset facta esse traduntur haec: cp. 44 *ἐκάλεε μὲν Δία καθάρσιον, μαρτυρόμενος τὰ ὑπὸ τοῦ ξείνου πεπονθὼς εἴη, ἐκάλεε δὲ ἐπίστιον καὶ ἑταιρήιον τὸν αὐτὸν τοῦτον ὀνομάζων θεὸν* et deinde diligentissime explicatur, quibus de causis trium illorum deorum fides imploranda fuerit, — et inde quod Graecorum expiandi fratricidae mos ad Lydos refertur, hisce additis verbis: *ἔστι δὲ παραπλησίη ἡ κάθαρσις τοῖσι Λυδοῖσι καὶ τοῖσι Ἕλλησι*, e quibus perspicitur, quae apud auctorem suum legerat Herodotus de expiatione Adrasti adeo congruisse cum eis, quas interfectoris expiandi causa Graecis exsequi mos erat, caerimoniis ut Graecum lectorem de eis edocere supersederet. Quamobrem etsi nihil impedit, quominus Xanthus in Lydiacis et colloquii inter Croesum et Solonem habiti et mortis Atyis, Croesi filii, mentionem fecisse credatur, Herodoto materiem fabularum suarum non praebuerit.

Venimus ad Apollinis Pythii aliorumque deorum oracula, quae Croesus petiisse et accepisse narratur in capitibus 46—56 et in capite 85, in quibus, nescio an lectori probaturus sim, Herodotum duorum auctorum narrationes tam neglegenter confudisse, ut satis multa confusionis indicia relinqueret, quibus innisi rem nos demonstraturos esse confidimus. Etenim cum inciderint loci, quod saepius evenit, quibus cum semet ipso adeo dissentit Herodotus, ut res sanari nullo modo possit, quid aliud, quaeso, est statuendum? Atque vide documenta sententiae nostrae! Primum, in capite 48 narratur Croesus, cum eodem tempore litteras omnes, quibus deorum, quos adierat, omnium responsa mandata erant, resignasset unius Apollinis Delphici responsum non respuisse sed, persuasisse sibi eius oraculum solum dignum

esse, cui fides haberetur, quia Pythius deus unicus recte sibi nuntiasset, quod centesimo die postquam nuntios allegaverat, fecisset [1]; et in capite 49 legimus dolere Herodotum, quod Amphiarai responsum, cuius veritatem Croesus tum agnoverit, reddere non possit [2]. — Deinde (cp. 52/53) memoriae proditur Croesum misisse ad utrumque deum — Apollinem et Amphiaraum — deliberatum, num imperio suo conduceret bellum contra Persas suscipere et ab utroque idem editum esse responsum; in capite vero 55 alterum de bello contra Cyrum oraculum a Pythia sola datur, praetermisso Amphiarao et hisce additis verbis: *ἐπείτε γὰρ δὴ παρέλαβε τοῖ μαντηίου ἀληθείην ἐνεφορέετο αὐτοῦ*, e quibus perspiciatur hoc etiam loco oblitum esse Herodotum praeter Apollinis Delphici Amphiarai quoque oraculum a Croeso fide dignum esse habitum. — In capite 85 quartum oraculum Apollinis Delphici refertur, quod Croesus filii muti causa petivisse dicitur *ἐν τῇ παρελθούσῃ εὐεστοῖ*, quibus verbis ad eius felicitatem, qua usus est antequam Atyem filium amitteret, respici manifestum est. Cuius oraculi non meminisse Herodotum apparet, cum (cp. 55) scriberet tertium Apollinis responsum tum accepisse Croesum, cum iterum de bello Persico et de temporis spatio, per quod Lydis praefuturus esset, deum consuleret; namque

---

1) Cp. 48: *ὡς δὲ καὶ ὦλλοι οἱ περιπεμφθέντες παρῆσαν φέροντες τοὺς χρησμούς, ἐνθαῦτα ὁ Κροῖσος ἕκαστα ἀναπτύσσων ἐπώρα τῶν συγγραμμάτων· τῶν μὲν δὴ οὐδὲν προσίετό μιν· ὁ δὲ ὡς τὸ ἐκ Δελφῶν ἤκουσε αὐτίκα προσεύχετό τε καὶ προσεδέξατο, νομίσας, μοῦνον εἶναι μαντήιον τὸ ἐν Δελφοῖσι, ὅτι οἱ ἐξευρήκεε τὰ αὐτὸς ἐποίησε.*

2) Cp. 49: *κατὰ δὲ τὴν Ἀμφιάρεω τοῦ μαντηΐου ὑπόκρισιν οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ὅ τι τοῖσι Λυδοῖσι ἔχρησε ποιήσασι περὶ τὸ ἱρὸν τὰ νομιζόμενα, οὐ γὰρ ὦν οὐδὲ τοῦτο λέγεται, ἄλλο γε ἢ ὅ τι καὶ τοῦτον ἐνόμισε μαντήιον ἀψευδὲς ἐκτῆσθαι.*

de muto filio eum non interrogasse, postquam belli contra Cyrum gerendi consilium cepit, et per se patet et propterea verisimile est, quia perpaucum temporis interfuit inter tertium illud oraculum et belli initium.

Cuius inconstantiae cum causam quaererem, quidnam esset cur nunc duobus nunc uni oraculo Croesum confisum esse Herodotus narraret, inveniebam, duas de deorum responsis narrationes eum coniunxisse, quarum altera ad auctoritatem Apollinis Delphici augendam huic uni laudem tribueret Croesi quaestionem difficillimam sustinuisse, altera breviter referret ex omnibus, quos Croesus tentasset, deis tantummodo Apollinem Delphicum et Amphiaraum recte respondisse. Illa, ex qua capita 47, 48, 55 hausta sint, Pythiae responsa versibus et verbis grandibus exornata Apollinis decoris et gloriae amplificandae causa tradebat, — haec, quae subest capitibus 46, 49, 50, 52, 53 nec versus oraculorum prodidit nec omnino narrabat, quid Apollo et Amphiaraus aliique dei a Croeso tentati rescripsissent, et, sicut etiam in capite 53, satis habuit concentum responsorum monuisse. Cui autem parum probabile esse videtur, quod ita poscui dirimenda esse singula capita auctoribusque, quorum misceret Herodotus narrationes, esse reddenda, is reminiscatur locorum illorum, quibus Herodotum nonnulla libris suis neglegentius inseruisse constat. Nihil igitur impedit quominus censeamus tria illa capita posterius ab Herodoto addita esse; neque dubium esse debet, quin et haec et ea, quae de donis a Croeso ad Apollinem missis capitibus 51, 54 continentur, ex sacerdotum Delphicorum sive commentariis sive sermonibus effluxerint. Aliorum vero capitum 46, 49, 50, 52, 53 quae brevitate dicendi et copia rerum excellunt, materiem non ex communi fama sermonibusque hominum petitam esse, sed ex logographi cuiusdam, qui rerum fidem bene servavit, libris cognosci licet. Non solum enim sacris,

quae Croesus Apollinis sibi conciliandi causa Sardibus fecisse traditur, subesse antiquas, quibus Sandonem deum colere solebant Lydi, caerimonias Dunckerus docet (IV, 320), sed etiam mira, qua est cum in numero victimarum immolatarum aliisque sacris commemorandis (cp. 50) tum in oraculis, ad quae Croesus nuntios mitteret, (cp. 45) enumerandis diligentia Herodotus, testificatur haud incerto auctori deberi, quae in capitibus illis referuntur. Accedit, quod haud parvi sane momenti est ad persuadendum, quod nonnulla, quae scire lectorem interesse putaret, ideo se nescire profitetur Herodotus, quia non tradita sint. Dolet enim nec deorum, quos Croesus tentasset, responsa nec Amphiarai oraculum, quod pro recto a Croeso habitum esset, se reddere posse: *οὐ γὰρ ὦν οὐδὲ τοῦτο λέγεται* (cp. 49). Itaque cum concedendum sit, ut opinor, eum hisce in rebus narrandis logographi cuiusdam libris esse usum, fieri non potest, quin statuamus quae illis capitibus memoriae produntur ex Xanthi Lydiacis esse desumpta, quibus — quae conscripta secum ferret, cum Halicarnasso discederet — Herodotus indidisse putandus est, quae a Delphicis sacerdotibus postea accepit oracula ab Apolline Croeso data [1]). Consuetudo enim ei erat, si quas adiit vel urbes vel terras, de narrationibus cum aliorum tum logographorum, quae ad eas pertinerent, acrius indagare; satis est unum, exempli gratia, nominare — Hecataeum Milesium [2]). Praeterea Steinii auctoritatem

1) Si sacerdoti Delphico tota de oraculis narratio tribuitur, ut Steinius vult, nec intelligi potest cur non etiam deorum illorum responsa is finxerit, nec causa excogitari potest, cur Amphiaraus quoque laude veri oraculi affectus sit, de qua Thebis, quas adiit Herodotus (cp. 53), nihil notum erat.

2) De ratione quae inter Herodotum et Hecataeum intercedat cf. Wiedemann: Gesch. Aegyptens. Leipzig 1880

ad nostram sententiam confirmandam advocare licet, qui cognovit esse quasdam partes operis Herodoti, quas composuit antequam Delphos visisset[1]). — Neque a Delphis tantum percontatus est Herodotus num quid memoratu dignum de donis a Lydo missis et de Apollinis responsis scirent, etiam a Lacedaemoniis audire studuit, quae de ipsorum cum Croeso societate possent tradere. Quorum narrationes capitibus 69, 70, 83 subesse et ipse Herodotus (cp. 70) profitetur, et ex argumento et colore capitum illorum adeo patet, ut de ea re plura verba facere supersedeamus.

Caput 71 Xantho propterea addixerim, quia et Sandanis nomine, sapientis illius Lydi, qui operam dedit ut Croesum a bello Persico retineret, nomen „Sandan", quo summus Lydorum deus appellari solebat, quasi ultro in memoriam revocatur et quia oratio, ab eo habita, tam bene Lydorum superbiam, qua in Persas, gentem asperrimam, tum despiciebant, reddat ut eam fictam esse haud existimem. Certe non hominum sermonibus divolgata erat narratio ea, qua Persae vestitum coriis consertum gestare tradebantur, qui per centum iam annos sinuosa veste Medica amicti esse solebant; neque cadunt in Persas, quales Artaxerxis et Herodoti temporibus erant, haec verba: *σιτέονται οὐκ ὅσα ἐθέλουσι ἀλλ' ὅσα ἔχουσι, χώρην ἔχοντες τρηχέαν. πρὸς δὲ οὐκ οἴνῳ διαχρέωνται, ἀλλὰ ὑδροποτέουσι, οὐ σῦκα δὲ ἔχουσι*

I p. 82, 86; Cobet: Mnemosyne XI p. 123, 126, 131, 146, 157/58, ad Herodot. II, 2, 15, 45, 131, 181; Müller: Frgm. hist. Graec. Praefat. p. 14, Hecataei frgm.: 1, 276, 278, 284, 292—98; Gutschmid: Philolog. X. De rer. Aegyptiacar. scriptoribus p. 524, 534 etc.; H. Holländer: de Hecat. Miles. descriptione terrae. Dissertat. Bonnae 1861 p. 3—6 etc.; J. Krall: z. zweit. Buch d. Herodot. Wien. Studien IV p. 45/46.

1) Stein: Praef. ad Herodot. I p. XXII.

τρώγειν, οὐκ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν, quibus, ne a veritate nimis recedere viderentur, Herodotus addere debebat: *Πέρσῃσι γάρ, πρὶν Λυδοὺς καταστρέψασθαι, ἦν οὔτε ἁβρὸν οὔτε ἀγαθὸν οὐδέν.* Accedit quod initio capitis 71 Croesus in Cappadociam profectus esse traditur, qua de terra et de Halye flumine Graecus lector demum in capite 72 edocetur, ubi legimus a Graecis Cappadociam vocatam esse Syriam. Quibus de causis mihi persuasum est ea, quae capite 71 continentur, Xanthi Lydiacis esse tribuenda, quibus adiunxit in capite 72 Herodotus, quod ad rem Graecis lectoribus explicandam aliquid afferre putaret. Eodem modo in rebus narrandis Xanthum maxime secutus et nonnulla, quae Graecorum interesse arbitrabatur, superaddens capita 76—81 et 84, quibus Lydorum historia usque ad expugnationem Sardium deducitur, ille composuisse videtur. Nec enim, quod recte monuit Benedictus [1]), totius belli casum, pugnam ad Sardes commissam, urbis expugnationem nisi a Lydis tam distincte comperire potuit, nec desunt vestigia, quibus insistens, nescio an probaturi simus, non sermonibus Lydorum, sed logographi libris narrationes illas deberi. Perspicuum enim est Herodotum (cp. 75) apud auctorem suum nihil invenisse de ratione, qua Croesus Halyn fluvium transiisset — qua de re Graecos certiores facere propterea cuperet, quia apud eos Thales Milesius Lydorum exercitum transduxisse dicebatur — unde suspicio movetur ex scriptis eum hausisse; namque si per colloquium cum Lydo quovis de Croesi in Cappadociam expeditione instructus esset, facile ab eo — viro patriae historiae sane peritissimo — de ea re aliquid auditurus erat, quod silentio non praeteriisset. Deinde, quis non iure miretur, legens (cp. 77) Croesum post pugnam ad Halyn fluvium factam nuntios misisse,

1) l. l. p. 20 sq.

qui Babylonios et Aegyptios *κατὰ τὸ ὅρκιον* accirent, quorum de commercio cum Lydis antea nihil relatum esset? Quam rem sic tantum expedire potuit Herodotus, ut nunc uncis inclusa apponeret, quae supra reddere debebat, foedera pepigisse Croesum cum Labyneto Babyloniorum et cum Amasi Aegyptiorum rege. Nescio equidem cur non etiam hoc loco sicut supra omiserit memoriam earum societatum, quae ad rem Croesi adiuvandam nihil valebant, nisi adeo auctorem suum secutus esse creditur, ut omnia, quae a Lydorum rege post illam pugnam gesta esse legerat, accurate traderet. Itaque, quae ibi narrantur, Herodotum e scripta Lydorum historia petiisse existimem, cuius auctor, cum ratione et via et non more Herodoteo procederet, Croesi foedera ut notissima commemorare posset. Ex eodem fonte sine dubio effluxit pugnae ante Sardes commissae descriptio diligentissima, quae Lydo auctori cum propter laudes virtutis, qua illis temporibus gens Lydorum fuerit, tum propterea tribuenda est, quod tamquam res inaudita Graeco lectori Cyri consilii explicandi causa refertur: *κάμηλον ἵππος φοβεῖται καὶ οὐκ ἀνέχεται οὔτε τὴν ἰδέην αὐτοῦ ὁρέων οὔτε τὴν ὀδμὴν ὀσφραινόμενος*, quod eo maioris momenti est, quo minus tum et Graecis et ipsi Herodoto cameli facies et natura erant notae (cf. III, 102 sq.). Mea quidem sententia — cum inter omnes constet, Pisistrati rerum et temporum memoriam Athenis iam Herodoti aetate valde obscuratam fuisse — fieri non potest ut statuamus Herodoti narrationem de bello a Croeso, Pisistrati aequali, cum Cyro gesto tam distinctam, quae optime veritatis fidem servavit, per centum annos communi Lydorum fama fuisse tractatam. Quod eo etiam probabilius debet videri, quia in iis quae de Cyri consilio Croesi comburendi (cp. 86), de sermonibus regum (cp. 86—90), de Apollinis a Lydis interrogati responso ab Herodoto narrantur, fabularum

tenebrae adeo veritati obductae sunt, ut rerum ratio ex iis explicari vix aegre possit. Docuere enim Dunckerus (IV, p. 327/28) et Steinius (ad I, 86, 6), viri doctissimi, non Cyrum iussisse Croesum vivum comburere, sed Croesum ipsum Sandoni, numini solis, ut deum summum Lydorum placaret, se victimam rei publicae praebuisse, cum bis septem nobilibus Lydis. Quae opinio eo confirmatur, quod Herodotus (87, 1) sibi Lydos auctores fuisse dicit, quorum narrationibus totum illud caput 87 deberi facile perspicitur; quod si paulo diligentius inspexeris, videbis a Lydis traditum esse non Solonis nomen ter clara voce clamatum saluti fuisse Croeso, sed voluntatem et clementiam Sandonis, qui sacrificium repudiaret, ignem exstingueret, Croesum de rogo deduceret, Cyro amicissimum redderet. Accedit quod Herodotus se nescire profitetur (cp. 86 init.), qua causa commotus sit Cyrus ut Croesum in rogum imponeret, — unde apparet Lydos Cyrum crudelitatis non accusavisse; neque quidquam erat, cur id a Croeso factum esse crederet Herodotus, ut opinor, nisi quod Solonis causa Croesum servatum esse aut sibi ipsi persuaserat aut lectori persuadere cupiebat. Quam narrationem a Graecis fictam esse et per se verisimile est [1]) et eo apparet, quod (cp. 89) Croesus Cyrum hortatus esse fertur, ut ipse praeda potiretur, causam interponens necesse esse decimam Iovi consecrare! Itaque iis capitibus alteram partem carminis de sermonibus Croesi et Solonis, cui capita 30—33 supra tribuimus, subesse censeam.

Quae de legatione a Croeso Delphos missa et de Pythiae responso ab Herodoto in capitibus 90—91 pro-

1) Fieri potuit ut propter nominum Sandon et Solon similitudinem Croesus, cum Sandonem advocaret, Solonem vocasse a Graecis crederetur, cf. cp. 86: *ἀναστενάξαντα ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐς τρὶς ὀνομάσαι Σόλων.*

duntur, ea Steinius a sacerdotibus Delphicis, ut omnem ab Apolline culpam demoverent, pervolgata esse putat, A. Schoene [1]) Lydis auctoribus tribuenda esse arbitratur. Equidem non negem ea cum omnibus quae rettulit Herodotus, optime congruere neque — cum dubitari nequeat quin Croeso re vera magnus cum Apolline Delphico usus fuerit, — alienum esse existimem a Croesi natura et mente legatos mittere Delphos, qui a deo rationem praestigiarum reposcerent [2]), attamen totam illam orationem (cp. 90) a Pythia pronuntiatam esse persuadere mihi non possum. Concedam nihil obstare — immo veri simillimum esse — quominus deus prima orationis verba respondisse credatur haec: *τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστιν ἀπυφυγεῖν καὶ θεῷ. Κροῖσος δὲ πέμπτου γονέος ἁμαρτάδα ἐξέπλησε, ὃς ἐὼν δορυφόρος Ἡρακλειδέων (δόλῳ γυναικηίῳ ἐπισπόμενος) ἐφόνευσε τὸν δεσπότεα καὶ ἔσχεν τὴν ἐκείνου τιμὴν οὐδέν οἱ προςήκουσαν*, cetera vero, cum nullo loco alterum orationis tam longae a Pythia habitae exstet exemplum, a sacerdotibus postea addita esse mihi videntur. Adde quod hic et IV, 163, his duobus tantum locis, Apollo cognomine *Λοξίας* vocatur ibique (IV, 163) oraculum, quod circa annum 450 fictum esse constat, redditur [3]); adde quod in hoc capite respicitur ad oraculum capitis

1) Hermes IX p. 438 sqq.

2) Herodotus Croesi iussum ad verbum reddere videtur dicens: *Κροῖσος πέμπων τῶν Λυδῶν ἐς Δελφοὺς ἐνετέλλετο τιθέντας τὰς πέδας ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν εἰρωτᾶν εἴ οὔ τι ἐπαισχύνεται τοῖσι μαντηΐοισι ἐπαείρας Κροῖσον στρατεύεσθαι ἐπὶ Πέρσας ὡς καταπαύσοντα τὴν Κύρου δύναμιν, ἀφ' ἧς οἱ ἀκροθίνια τοιαῦτα γενέσθαι, δεικνύντας τὰς πέδας· ταῦτά τε ἐπειρωτᾶν καὶ εἰ ἀχαρίστοισι νόμος εἶναι τοῖσι Ἑλληνικοῖσι θεοῖσι. . . .*

3) Inde colligamus licet hanc orationem non ab ipso Herodoto esse compositam, quod iam ex eius verbis elucet: *ἡ δὲ Πυθίη λέγεται εἰπεῖν τάδε.*

55, quod sive sermonibus sive commentariis sacerdotum Delphicorum deberi supra probare conati sumus, et quod Cyrus ἡμίονος i. e. Cambysis et Mandanes filius fuisse dicitur, cuius de origine alios aliter statuisse Herodotus sciebat (I, 95). Sic igitur sentio: Xanthus narravit in rogum ascendisse Croesum ut victimam reipublicae Sandoni se praeberet, Herodotus Solonis memoriam induxit et rem ita commutavit, ut Cyro consilium fuisse Croesi comburendi scriberet et ad Apollinis responsum adiceret, quae ipse Delphis comperer at.

Rebus Lydorum in capitibus 92—94 adiunxit nonnulla Herodotus de donis Croesi, de moribus Lydorum, de Alyattis sepulcro, quae magna ex parte ex Xanthi Lydiacis desumpta esse nos omnibus probaturos esse confidimus. Firmissimum enim inest testimonium capiti 92, ubi verba Herodoti: *τὰ δὲ ἀναθήματα (Κροίσου) ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οἰσίης ἐχθροῦ, ὅς οἱ πρὶν ἢ βασιλεῦσαι ἀντιστασιώτης κατεστήκεε συσπεύδων Πανταλέοντι γενέσθαι τὴν Λυδῶν ἀρχήν* ad rem spectant a Nicolao Damasceno (fr. 63) vel potius a Xantho abunde relatam. „Sadyattem, ditissimum Lydorum mercatorem, Croeso — erat enim periculum ne patri in regno succederet — pecunias dare noluisse, qui ob eam rem iratus iurasset, cum rex factus esset, se eius divitias Dianae Ephesiae [1]) consecraturum esse; quod postea evenisse". — Apparet igitur hoc loco luce clarius Herodotum in conscribendis historiis Xanthi Lydiacis esse usum.

Summam faciamus argumentationis nostrae! Xanthus, quamvis Herodoto in suavitate dicendi cederet sine dubio, tamen, quod ex fragmentis, quae apud Nicolaum exstant, colligi possit, rerum narratarum cum copia tum

1) Herodoti ait Croesi dona fuisse: *ἐν Ἐφέσῳ αἵ τε βόες αἱ χρύσεαι καὶ τῶν κιόνων αἱ πολλαί.*

fide adeo eum superavit, ut inter summorum scriptorum numerum sit reponendus. Eius historias, in quibus propter Gygis scelus Croesus tanta clade affectus esse tradebatur, tamquam fundamentum suis narrationibus, quae ad res Lydorum pertinent, Herodotus subiecit; ex iis elegit, cum sua magis interesset delectare quam edocere lectorem, quae sive memoriae retinendae causa sive quod ad res Graecorum spectarent, sibi memoratu digna esse viderentur; fabulis deinde, quas aut in carminibus legerat, aut sermonibus Graecorum acceperat, aut e commentariis Delphicis sumpserat, ea excerpta adeo exornavit, ut ex iis veritas vix aegre eluceret; quae ubi ab Herodoto servata est, mea quidem sententia, Xantho debetur Lydo, qui Lydiae situm et naturam, qui origines fabulosas et res gestas Lydorum uno singularis praestantiae opere amplexus esse est putandus.

Curriculum vitae.

Paulus Pomtow natus sum Berolini a. d. III Idus Apriles a. 1862 patre Lebrechto, matre Amalia e gente Marquard. Fidem confiteor evangelicam.

Berolini in gymnasio Joachimsthalio, ubi pater professoris munere fungebatur, primis litterarum elementis imbutus sum. Deinde ab ipso patre per quatuor fere annos eruditus anno 1879 testimonium maturitatis adeptus sum Dramburgii.

Pridie Nonas Maias a. 1879 inter cives universitatis litterariae Fridericae Guilelmae receptus sum; quadriennium totum Berolini degi, historiae deditus et philosophiae. Docuerunt me Müllenhoff, Scherer, Treitschke, Kirchhoff, Zeller, Curtius, Bresslau, J. G. Droysen, H. Droysen, Schmoller, Paulsen, Mommsen. Exercitationibus interfui Bresslaui, H. Droyseni, J. G. Droyseni, Mommseni, Paulseni, Schmolleri. Quibus omnibus magnas habeo gratias; imprimis vero J. G. Droyseni memoriam grato pioque semper animo colam.

JENAE, TYPIS FROMMANNI (H. POHLE).